
ADAMI WIDL E SOCIETATE JESU LYRICORUM LIBRI 3...

Adam Widl


P. Mathias Casimirus Sarbievius S. I.
P. Iacobus Balde Soc. Iesu.
IHS
ADAMI
WIDL
E Societate
IESV
Lyricorum
Libri III.
Epodon
Liber Vnus
Ingolstadij
Philip. Zinck
MDCLXXIV.
Pindarus.
Horatius Flac.

ADAMI WIDL
E SOCIETATE JESU
LYRICORUM
LIBRI III.
EPODON
LIBER UNUS.

INGOLSTADII.
Sumptibus JOANNIS WAGNERI
Biliop. Monacen. Elector.
Formis Jo. Philippi Zinck, Typo. Ingol. Acad.
Cum Facultate Superiorum

EMINENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI EVERARDO NIDHARDO
S. R. E.
Titulo S. Bartholomæi in Insula
Presbytero Cardinali
Regis Catholici
Ad S.^{mum} D.N. CLEMENTEM X
ORATORI.

QUòd Póësis mea, CARDINALIS EMINENTISSIME, Romam veniat, mo-

rem illa cæterorum Peregrinorum ex Germania illuc Religionis causâ euntium imitatur. Magnum ea cultum nõ præ ſe fert; Peregrina eſt: ſuccincta venit, habitu ſcilicet peregrinantis. Quòd verò illa in Palatium quoque tuum irrumpat, licentiâ ſcilicet pöeticâ, fortaſſis etiam nimiâ utitur, ac grandi Hoſpitalitatis tuæ fiduciâ peccat.

De

De admiſſione, ſaltem in atrium, non dubitat; cùm Tecum literas omnes magnificè habitare noverit, & recipi omnes audierit, qui eo nomine veniunt, ut eruditum oſtium pulſent. Quare autem ad VENERANDAM PURPURAM TUAM Muſa mea accedat, veſtigia alijs Poëtis trita permoverunt viæ cæteroquin ignaram futuram,

)(3 turam,

turam, nisi præcessissent, ij præsertim, qui Purpuratis Ecclesiæ Patribus opuscula sua antehac cōsecrata voluerunt. Hospitio proin ad tempus donata Musa mea Coronata Regni Catholici negotia non turbabit, sed quieta se tenebit, utpote peregrina de via lassa, & Religiosæ modestiæ non immemor, quam eo titulo EMINENTIÆ TUÆ gratio-

tiorem quoque futuram ſpero. Quòd ſi & vena mea non ſatis verecunda minus fortaſſe, quàm par erit, generoſi ſanguinis, ac fortis ſucci contineat, à fulgentiſſima PURPURA TUA ſupplementum ſibi accerſet, unde ad Auctorem tanto patrocinio fulta redeat vivacior. Cæterùm, CARDINALIS EMINENTISSIME, non adeò ut rem meam Tuo

NOMINI ſacram probes, opto, quàm animum & Patriâ, & voluntate verè Germanum. DEUS TER OPT. MAX EMINENTIAM TUAM maximo Eccleſiæ bono quàm diutiſſimè ſervare dignetur incolumem. Ita voveo

EMINENTIÆ TUÆ

Servus Humillimus

ADAMUS WIDL è Soc. JESU

AD LECTOREM BENEVOLUM.

PAucis alloquendus es mihi, AMICE LECTOR, ut ſcilicet ea occupem, quæ mihi obijcere fortè poſſis. Primum eſt, eſt, ut ſi fortè in diverſis vagabundis folijs, & Theſium lacinijs eadem, aut ſimilia ijs, quæ in hoc opuſculo continentur, legeris, Cornicula tibi in mentem nō veniat, ſed mea potiùs, quàm aliena credas: multa námque Academicis, ut mos fert, honorandis diſputationibus raptim furore poëtico effuderam propè non temere, quæ dein ſuo tempore in

meliorem formam & ordinem redegi, ac ceu partum non ſatis linctum additâ induſtriâ Publico elaboravi.

Quòd ſi & integros, licet illos perpaucos, ac modeſtos ex Horatio verſus legeris, mutuò potiùs acceptos, quàm ſubtractos crede: nam, ecce! reſtituo, ſuúmque Authori honorem habeo, additâ etiam quandoque in titulo ſede, ac loco proprio, unde cimelia illa fuere deprompta. Ita nimirum gemmæ non niſi ex longinquo litore repetuntur; ſuus nihilominus natali gremio, ac matrici, ubi conceptæ, & à ſolicita natura educatæ ſunt, nomen & pretium conſtat, abſque eo, quòd Perſonæ, quæ mundum illum illu-

ſtrem

ſtrem portant in corpore ſuo, pretioſi furti arguantur. Ita paucæ, eæque peregrinæ ex ſumptuoſo liquore admixtæ guttæ ſæpe cum vulgari potu maritantur, cui generoſum saporē tribuunt; nec tamen propterea rapinâ, aut malo dolo acquiſitæ cenſentur, quia, unde petitæ ſint, omnibus ſatis conſtat, & in propatulo eſt. Quare cùm exempla hîc quoque ſuppetant aliorum, qui ijs aromatis ex diſtanti petitis ſuam Muſam aſperſere, ſolliciti tamen, ne licentiam ſuam mutuandi ultra condimenti legem explicarent latiùs: ego quoque eorum veſtigijs inſiſtens honorem Auctoribus ſuum vindico, ſtaréque prorſus incolumem volo.

Alterum Te rogare placuit, ut

ut benignâ patientiâ longitudinem quarundam Odarum excuſes, aut certè clementer interpreteris: Sunt Authores, qui præivere, quorum veſtigia veneror, & imitatione colo. Malui ſcilicet felicioris fluxûs materiam quandoque continuare, & filum producere, quàm novam incipere: entheo vigore, dum calet, utendum eſt.

Tertium eſt, quod mihi non exprobres; ſi ſcilicet in Minimæ Societatis noſtræ laudibus copioſum me videas. alijs per hoc detractum volo nihil. Nimirum privatum mercatorum quorundam (laudantium merces ſuas) vitium propè evaſit commune & publicum.

Laudo ego, quæ mea ſunt,
Tu tua, Quiſque ſua.

Quod quisque delicatè & tenerè amat (Parentes, maximè ac Genus ſuum) illud & laudat. Quid mirum ſi & mihi chara mater ſit, mea Religio, uti alijs ſua. Nihil autem, quod publicè laudo, ac celebro, Orbi ſpectatori, imò admiratori occultum eſſe poteſt, quod non viſum in theatro, & dudum ab alijs etiam fæcundiſſimè laudatum ſit. Laus itaque tibi non videatur nova id, quod affero, ſed quædam laudis repetitio ab aliorum labijs decerpta. Dein Sancti (etiam Noſtri) extra invidiam poſiti ſunt, utpote publicum Eccleſiæ teſtimonium nacti, & veluti Vrbes in alto, veluti lumina quædam in aureo gloriæ candelabro à Vicaria Dei in terris Voce & Oraculo conſtituta,

tuta, ut celebrentur non tantùm eorum festa, sed & facta. Quos Patronos habere cupias, laudes, necesse est, & Gratiosos voces.

Quartum est, ut, si Poëtam rapaciore impetu, ac torrente ferri in mores videris, vitia proscindi, non homines putes. per vulnera Statuæ elaborantur in melius; nemo propterea artis scalpro & mordacitati instrumenti, aut ipsi artifici irasci ur. Perinde, ut vetustæ imagines æri quondam incisæ, ita & antiqui mores acumine styli renovandi sunt; esto: quòd pungantur. Si qua abortiva novitas vitio agri, aut luxuria succrevit, falce tollenda & resecanda est. Satyras tamen & Euphormionem in Lyricis hisce ne quæras, velim; sed admonitiones

nes

nes ſæculi, & tranſactionē quandam Emendationis benevolam, ad quā ſi Religioſus Poëta quispiam adhortetur Mortales, non propterea in munus Eccleſiaſtū involat, ſed charitate ſubſidiariâ adjuvat; cùm ubique ſuus virtuti locus eſſe poſſit. Vitia publica jus ad famam & impunitatem perdidere: communis & liberæ caſtigationis ſunt, &, noctuæ inſtar medio die è cavea elapſæ omnium volucrum roſtra & ungues meritò in ſe convertunt.

Neque furtivam aliquam, aut clandeſtinam clavem in tacita Auctoris mente repoſitam tibi imaginare, quæ ficta in hoc opuſculo nomina quædam aperiat, in quibus ſcilicet Auctor

clam

clam retro cortinam ſecum tripudiet; Chymærica ea eſt, nihílque myſterij ijs in nominibus latet, præter morum caſtigationem, aut Virtutis laudem: innocẽtia nomina crede, tametſi mores, qui exagitantur, ſint inhoneſtatis rei.

Quòd ſi & metaphoras quaſdam, non modò audaces, ſed propè inſolentes excuſaveris, grandi me obſequio honorabis. ſed pace tuâ dixerim, AMICISSIME LECTOR, non timeo judicium tuum, ſi fortem ſtomachum habes; imò benevolentiam potiùs in me tuam cogitatione præcipio: frænum ſcilicet laxavi ingenio nondum effœto, cùm non neſciam, quantæ, quámque ſublimis indolis, ac ſpiritûs

ritûs ſit Poëſis Lyrica, vix placitura hodierno ingenioſo ſæculo, niſi ſupra ſe aliquantum ſapiat. Nihilominus & majeſtati Carminis ſatisfacere in materia gravi, ac militari, in levi verò & mediocri admixto quodam lepôre, ut ſpero, non illiberali, per modum ſacchari, arrogantioris Muſæ faſtum & cothurnum ſi non condire, ſaltem temperare ſtudui. Quare promiſcuũ argumentũ elegi, ut legentis faſtidio conſulerem: Jam per Urbes, Palatia, Subſellia, fora, Curias, Academias, venerabilem Hiſtoriarũ antiquitatem, per mores omnium propè hominum ambulare mihi placuit: jam ſereno cœlo, propitiâ tempeſtate in floridos campos exire

exire, delicatæ avium Musicæ interesse, spectacula jocosæ naturæ admirari, Anachoretas invisere, jam in Tentoria Bellica & militaria castra ad milites provolare, magna ibi facinora suspicere, & colere, generosum sanguinem Patriæ impensum oculis haurire, Duces celebrare, Martem accendere, cuneos ordinare, tubas inflare, tympana tractare, contra Turcam Christianos incitare, militem scribere, stipendiaria Elementa conducere: jam in infimam terram, & metallorum uterum, ipsúmq; Infernum descendere, infelices Manes ad terrorem vivorum inde educere, Cælum denique gloriosum Divorũ domicilium,

adire

adire, prodigia eorum, ac facta ad laudem, & imitationem promere lubuit, partim, ne semper idem essem, partim, ut de vario hominũ, ac rerum genere bene mererer. Quod si impetravero, prolixè enimverò de tuo, *Lector Benevole*, commodo ac patrocinio mihi gratulabor: curiosus siquidem varietate, laboriosus industriâ, qualicunque demum, utilis denique voluntate omnibus esse studui, gloriosus nunquam.

Postremum est Protestationis locò, quòd cupiam omnia ea, quæ hoc opusculo continentur, non aliter à quoquam intelligi, aut accipi debere, quàm S.mi *D. N. Vrbani VIII.* Con-

stitutio

ſtitutio in iis, quæ ad Decretũ illud pertinent, à veris Eccleſiæ filiјs exigat. Hæc ſunt, BENEVOLE LECTOR, quæ te benignè & candidè monitũ volui. Vale Amice, & Opuſculum hoc tuis obſequiјs cuſum æqui boníque conſule.

FA-

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS,
Cum Privilegio Cæſareo.

EGo Georgius Muglinus *Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, pro poteſtate à Patre Noſtro* Ioanne Paulo Oliva *Præpoſito Societatis IESV Generali acceptâ, concedo, ut tres libri Lyricorum cum uno Epodon ab Adamo VVidl Societatis noſtræ Sacerdote conſcripti, & à deputatis Patribus cenſi, probatique in lucem edantur. Simul etiam Ioanni VVagner Bibliopolæ Monacenſi Electorali*

lus

Ius Cæsarei Privilegij usurpãdi indulgeo, quô Typographis & Bibliopolis omnibus facultas adimitur, vulgatos à Societatis IESV Patribus Libros sine Superiorum consensu imprimendi, recudendi, aut intra fines S. R. Imperii importandi, aut importatos distrahendi. Datam facultatem manu meâ & officij sigillo munivi. Ingolstadij 12. Martij 1674.

GEORGIUS MUGLINUS.

LYRI-

LYRICORUM
LIBER PRIMUS.

ODE I.

Beatissima Virgo MARIA libera originis maculâ prædicatur.

Vernante quando cespite floridum
Decoxit hortum sordida femina,
Lucúmque felicis saginæ
Prodiga dilapidavit Eva
Adorta mensam, quæ vetito stetit
Plantata ramo, posteritas fame
Dirâ perempta est. Sola tabo
Incolumis fuit illa Virgo,
Quæ Conditoris Progeniem Patris
Intra pudici viscera corporis
Habere jussa est nascituram
Ex niveo sine labe fundo.
Hæc una Mater nil redolet Patris;
Non illa pomo tacta nefario:
Non anguis illi sibilavit,
Aut miseræ gula blanda sylvæ

Porrexit escam. libera prandio
Non edit horti fœdifragi dolum,
Hærede non afflata morbo est
Virgo statu speciosa primo.
Periclitatis funere posteris,
Favor reliquit criminis integram,
Ante orbis extructi theatrum,
Ante hominum, pecudúmque cunas:
Nondum venusto corpore luxerat
Phœbæa Cœlo semita, nec suis
Cornuta jacturis Diana
Cæruleâ vaga stabat aulâ:
Non ponderoso continui jugo
Montes gigantes corpore saxeo,
Conóque per nubes adacto
Constiterat lapidosus Atlas:
Fæcunda necdum flumina piscibus,
Largísque venis murmura fontium
Eruperant terræ cavernis,
Nec profugis spatiata Lymphis
Usquam sonoro tramite devia
Æquor petebant, crimine jam carens
Virgo paterno, destinata
In placitam fuit ipsa Matrem:
Victore caudam jam pede conterens
Pressit draconis vipereum caput
Persona felix, gratiarum
Perpetuo cumulata fluxu.
Non ipsa turpis participem famis
Est nacta mentem; cùm trepidam necem,
Mor-

Mortémque pomo fœderatam
Immemores ederent nepotes,
Ne perduellem ſugeret aſpidem,
Favore cautum eſt. hîc gula peſtilens
Stetit fatigatâ nocendi
Ingluvie, refugóque pomo.
'A labe gentis Te data dextera
Pridem diremptâ lite removerat.
Deliberato Te ſenatu
A vetito relevârat horto
Rerum potitus TRINUS, & UNICUS.
Hanc naſcituri gloria Filij
Matri paravit dignitatem,
Ne patriâ premereris ira.

ODE II.

AD R. P. JACOBUM BALDE SOCIETATIS JESU.

Poëſis ipſius, ac maximè Threni Germaniæ ab ipſo conſcripti celebrantur.

PLenum virili Sanguine conſpicor
Bullire vatem. maſculeâ phraſi,
Succóque plenos puriore,
Magnanimâ ſaliente vena
'Adoro libros. tam ſimiles ſibi
Fons eloquenti flumine limpidus

Propinat hauſtus, lucidúmque
Mentibus inſinuat liquorem:
Latè ſonorum promovet alveum
Ductis meandris: mox redit ex fuga,
Et innocenti perſpicaces
Æquore diſtribuit procellas.
Quantus reſultat, dum medias tubas,
Et Martiali cornua ſpiritu
Inflata cantat, turgidóſque
Impavido lituos fragore;
Cùm bellicoſos agglomerat viros,
Et eruditis fulminat ictibus:
Ad arma quando concitato
Ire jubet juvenes calore?
Exulcerati tempora ſæculi
Menſus cothurno, quàm gravis influit,
Germaniæ quando labantis
Naufragium, laceríque Regni
Nuper rebelli crimine venditas
Deplorat Urbes; cùm malè proditam
Fidem, coloratáſque mentes
Infremit, indomitóſque mores,
Bello ſeveros: cùm patriæ ſinum
Multo calentem ſanguine concinit,
Et decolores tabe rivos
Purpureâ, ſaturáſque fuſo
Cruore valles, ferrea quas ſitis
Nec dum diremptis enſibus ebibit?
Hîc ire gaudet verticoſus,
Et tumidis querulus procellis
Agna-

Agnata ſecum funera devehit,
Anníſque ſemper pejùs euntibus
Accuſat ævum militari
Ex calybe, invidiáque cuſum,
Et tincta ferro civica jurgia
Cum bile narrat, Teutonicam negans
Hanc eſſe virtutem, cruentos
In populos, animámque Regni
Enſes lacertis ſtringere mutuis,
Chriſto dicatam fundere purpuram,
Sed in rebelles fœderatis
Ire animis, gladiiſque Muphtos:
Sat eſſe turpi dedecori datum,
Monet natantem ſanguine patriam,
Suæque jam tumbæ propinquam,
Nî proprias moderetur iras.
Sunt verba juſto grandia pondere,
Quæ ſparſa famam per populos ferant,
Et orbe toto ſeminatam
Promerito recitent triumpho.
Quàm compta ſplendent ſingula? quàm ſuo
Sunt terſa cultu? quàm mutilum nihil,
Nihil coactum, ſed rotundâ
Plena lyrâ eſt, animáque Pallas?
Prodit Parentem fœtus, & alterum
Opus Magiſtrum laudat Apollinem,
Rumórque plauſûs nundinator
Prodigio famulatur artis.

 ODE III.

ODE III.

Laudes & Triumphus Martyrum è SOCIETATE JESV variis in locis pro fide interemptorum.

Huc fama pernix, quæ populos ſuper,
Supérque mundi conſpicuum globum
Tollis quadrigas, & rapacem
Currum agitas, volucrémque rhodam,
Huc purpuratæ nuncia gloriæ,
Quæ præliantum grandia nomina
Inſcribis aſtris, & tropæa
Continuis repetenda Lauris.
Ades! Triumphos, & vada ſanguinis
In nationes ſparge, volubili
Diſerta linguâ, mille palmas
In populos recita, & palæſtras
Cruore pingues. Nemo dolentium
Pallore marcet. Nemo timet necem.
Dejecta nulli ſtat timore
Frons, pluvio lachrymata vultu.
Quamvis juvencus mugiat æreus
Subjectus igni. tela licet ſcopo
Stridant ſtatuto, ſibilante
Inſidijs petulante nervo,
Præſaga certæ mens ſtat adoreæ,
Inter ſonoras carnificum minas,
Picémque flammis conglobatam,
Ingenito rapidam camino:

Stat

Stat obstinato freta fides situ,
Non horret Indos, non rigidos Getas
Curat, pharetratósque Turcas,
Et celeres gladiis Gelonos.
Pleno theatro stent licet indole
Exasperatæ difficili feræ,
Satúrque jam circus cruore
Indomitis ululet leænis.
Jam pugna flagrat. classica jam sonant.
Tormenta strident. carnifices ovant,
Sudante jam fervent lacerto,
Et patulo satagunt macello:
Jam pertinaces in pugilum caput
Rotantur ictus, truncáque corpora
Membris rubescunt purpuratis,
Et roseo miniata fuco
Formosa lucent: jam caput absilit
Cervice scissâ, pulchráque vulnera
Adhuc sub armis palpitantem
Expediunt animam. fugaci
Exclusa membris vita migrat pede.
Prensat coronam, lætáque præmio
Adit tribunal, militarem
Exhibet ambitiosa succum.
At Ecce! præceps invidiæ furor
Lingit Tyranni pectora, subsilit
Ardore totus cogitánsque
Arte novos reperit dolores:
Bullire væcors suppositam jubet
Flammis Resinam; tum fieri Rotas,

Et harpagones fabricandos
Ingenio, rapidúmque ferrum.
Nonne implicatas inſtabili genas
Colore fingunt? nunquid, & in latus
Utrumque nutant præliantes
Magnæ Animæ, intrepidæque mentes?
Num ſegne portant pectus, & inclytâ
Lapſi palæſtra ſignificant metum
Geſtu puſillo? num timorem
Nutibus, eloquióve produnt?
Truces ſeveris ſtant oculis faces,
Frontes Tyrannis cedere neſciæ:
Seu culter ingens Anglicanus
Membra ſecet, geminóſque reddat;
Pugnatur. at non corpore ſimplici:
Famoſa ſeu ſcrobs (ludus Jäponum)
Præpoſterâ foſſâ trucidet,
Aque ſitu perimat ſiniſtro:
Seu lenta flammis otia ſæviant,
Artúſque pigro lumine torreant:
Sive impudentes ſtringat enſes
Hæreſis in capita innocentum.
At Vos triumphum promeriti Viri,
Pulchrámque Laurum, pergite prælio
Perſtare fortes, æmulati
Sanguine purpureos honores
Cultum tueri pergite Numinis,
Ritúſque ſacros, Æthercam fidem
Servate, cervicéſque veſtras
Sidereis redimite Sertis.

Va-

Vaſta ſepultas nocte reducite
Cum laude gentes. veſtri ego nominis
Hæres, frequentatíque belli
Me pugilem memorabo fratrem.

ODE IV.

Perditam noſtri ſæculi juventutem, primóſque annos malè impenſos triſtiũ ſenij, exitiique Patriæ potiſſimam cauſam judicari debere.

INdoles florum, ſpeciménque plantæ
Præcoci fulget genio. recentes
Filii produnt tenero futuram in
Semine vitam.
Vix heri nati genitore dumo
Cardui tactum citò curioſum
Lancinant. cunctans licet involucro,
Jam Roſa fragrat.
Vrit in cunis, digitóſque mordet
Vilis urticæ ſcelerata proles.
Inſtruunt ungues minimi Leones,
Roſtráque milvi.
Scurra præludit juvenis ſenili.
Qualis eſt ætas, viridéſque mores,
Tale ſuccedit ſenium & virilis
Semita ſtirpis.
Qui juventutis moderatus æſtum
Impetus ſtringit, calidóſque motus,

Ille tranquillo cicurata fræno
Sæcula vivet:
At reluctantem quoties juventam
Ire laxatis sinimus lupatis
Nesciam fræni, toties senectam
Crimine fætam
Consules cæci tacito educamus
Abditam mentis gremio, & feracem
Nestorem probris alimus, domíque
Pascimus Hydram.
Hinc profanato nihil orbe rectum est
Ultimis sæclis, nihil hospitale,
Nil fide castum, solidóque pacto, aut
fœdere tutum.
Januas omni vitio patentes
Fertiles anni scelerum recludunt.
Ad bonum talpæ sumus, ad patranda
Crimina Lynces.
Plena sunt iris populosa Regna,
Et strepunt bellis, gladii occupantur
Perfidis rixis, sitiénsque ferri
Mars dominatur:
Ille distentis furibunda buccis
Prælia, & pugnas, tepidásque cædes
Igneis spirans oculis, minarum
Semina spargit:
Totus hinc passim cataphractus orbis
Prodit in campum: quia consecravit
Primulos annos odio æstuantes
Mollibus iris.

Cypri-

Cypridis fœtens hara, ſordidæque
Pectoris flammæ, vetitíſque gliſcens
Ætna ſcintillis, & amor ſceleſtus
Fumat ubique:
An quia obſcænis genitricis ulnis,
Partus infelix, ſumus educati,
Oſculis mulſi, teneræque carnis
Crimine foti?
Hæreſum paſſim truculenta peſtis,
Contumax fraudem ſtabilire ferro,
Faſcinat cæcos animos, & atra
Sub ſtyge mergit:
An quia infantes gravidam veneno
Suximus matrem? dolus eruditis
Pallians verbis animi cubile
Inde creatus
Simplices mores, niveúmque quondam
Perdidit pectus, vitiatus umbrâ
Candor antiquus lue mentiendi
Imbuit ævum.
Splenduit quondam vitreum videri
Pectus è ſuda glacie: feneſtra
Nulla prætentis animum ambiebat
Ferrea clatris.
At modò obſcuris tenebroſa larvis
Mens inhorreſcit. numera doloſas
Pectorum crates, hominúmque vafra è
Sindone fraudes:
An, quia in cunis violamur arte
Jam figuratâ, teneráque vulpe,

Illa cum ſeris adoleſcit annis
Beſtia fallax?
Æquitas nulla eſt, Themidíſque ſpretæ
Deſiit Regnum. nihil orbe juſtum:
Pauperes fugit viduas ſubactus
Munere judex:
Veneunt lites, patitúrque juſta
Cauſa pupilli. bona diſtrahuntur.
Jura torquentur, miſeríque conſtant
Ære clientis:
An quia aſſueti teneris ab annis
Duplici menti, biviæque linguæ
Fovimus ſenſim dubio repôſtam
Pectore vulpem,
Atque privatam cumulare ſortem
Unicè docti cupidâ ſaginâ,
Propriam pingues vetito lucello
Farſimus arcam:
Cur modò antiquis ſtabilita fibris
Impio regnent ſcelera apparatu,
Primus in cauſa eſt juvenis. tenellos
Arguo Soles:
Ver juventutis malè collocatum
Parturit fures, & inauſpicati
Stipitis fructus, tragicæque nectit
Pabula furcæ.
Ergo majores vigilent juventæ
Cereæ flecti, docilémque fingant
Seduli prolem, ſatagant ſiniſtros
Tollere mores.

Ple-

Plectat errores genitor, coloni
Instar hortensis, neque liberalis
Falcis oblitus toleret fluentem in
Germine frondem:
Ipse lascivos resecet capillos
Nobilis plantæ; nihil ipse motus
Lacrymâ vitis, sapiente scindat
Ense labruscas.

ODE V.

D. IGNATIUS LOYOLA SOLI COMPARATUS.

Sol oriens, ex aquis glaciatis emergens præmissâ pudoris Aurorâ impuro juveni obscænos amores dissuadet.

Cùm Sol manè oritur, rubens
Egreditur roseo mari
Natales maculans aquas:
Præmittit Lacrymas soror
Aurora, & stibio natat.
LOYOLAM similem viden!
Strictum is frigore Sequanam
Ingressus, juvenem procum
Exspectat, spurium caput;
Lenonísque statum dolens,
Concreto tremulus freto
Iratum queritur Deum;

Quò

Quò te ſacrilegum pecus
Infandæ Veneres agunt?
Quò demens proficiſceris?
Quò tendis vehemens proce,
Jam nupto inſidians thoro?
Per quicquid tibi amabile eſt,
Per vitam propriam rogo,
Per Chriſti pia vulnera,
Quæſito abſtineas lare;
Spurcæ te pudeat facis,
Impuríque Veſuvij!
Impendens remove flagrum:
Ut cor non rigeat tibi,
Iſthic membra rigent mihi;
Sta, nec longiùs hinc abi:
Hîc causâ emoriar tuâ;
Ut lucrer ſtolidum caput,
Nunquam hæc frigora deſeram.
Hoc dicto attonitum ſcelus,
Quamvis indomitè flagrans,
Cœpti conſilij pudens,
Et caſtâ inficiens genas
Aurorâ, ſtetit innocens,
Turpíque abſilijt viâ.

ODE VI.

ODE VI.

D. IGNATIUS LOYOLA SOL MERIDIANUS.

Divino amore æstuans Altissimâ SS. Trinitatis visione occupatus, Manresanâ Ecstasi à sensibus alienatus.

FEstinat altas ſcandere Sol plagas
Urgendo greſſus paſſibus igneis,
Deambulator liberalis
Solvit equos properante curru,
Státque in ſupremo culmine torridus.
Calore languent omnia, ceu roſa
Latrata cœleſti Moloſſo,
Quæ rapidis malè cocta flammis
Stirpem ſupinans ægra trahit comas,
Feſsóque pendens vertice, purpuram
Inclinat ad terras ſequacem,
Et querulum redolet dolorem.
Perinde ſacro continuò foco
Æſtas amoris fervida Sirio
IGNATIANO corde flagrans
Sidereos cumulavit ignes:
Aſcendit alto tramite Sol vigil
Ad uſque ſummi Numinis oſculum,
Intránſque miræ TRINITATIS
Nulli hominum reſerata templa,

Stupenda vidit, luce Deum bibit
Non irretortâ. consiliarius
LOYOLA supremi Monarchæ,
Et miseri rénovator orbis
Electus ipse est celsior Angelis.
Ut mente anhelâ totus homo calet?
Ut fronte sudat, pectorísque
Deliquium, latebrásque questus
Angusta laxat viscera? conflagrat:
Fumante sacro vertice NERIUS
Vidit favillas, & micantem
Igne rubum, nimiámque lucem
Ardente vultu. flumina promite!
Fomenta flammæ, & pabula tollite!
Nudate pectus, febrientem
Æquoribus recreate mentem.
Sic bulliente in corpore spiritu,
Languent beato membra cadavere.
Vivace signo destitutum
Pectus hebet, reliquíque sensus
Sopore vincti. Semanimem videns
Manresa felix obstupuit Virum
Vix spiritum parcè trahentem,
Deside præmoriente venâ.

ODE VII.

ODE VII.

D. IGNATIUS EX HOC SÆCULO MIGRANS SOL OCCIDENS.

Rubicundum post se crepusculum plurimorum in Societate Martyrum relinquit.

PLerunque fuco sanguineo rubet
Sol, Occidentis quando fretum subit,
Plerunque tinctus purpurisso
It cubitum roseo sopore:
Plerunque lucent pulchra crepuscula,
Inebriatis sanguine nubibus,
Corallino gemmans pudore
Flamma vibrat, dubitante luce.
LOYOLA Phœbo cedere num volet
Rubente Letho? non Superi sinent
Obire tantum morte sicca,
Purpurea sine luce, SOLEM.
Et ecce! splendet Vesper amabilis,
IGNATIANO murice fulgidus.
Post se relinquit purpuratum
Innumera Legione tractum.
Quot gloriosi Sanguine stant viri?
Quot Candidati, morte ruberrimi?
Quot CAMPIANI falce secti
Cum Sociis simul interemptis?

Angli

Angli beato ſanguine adhuc calent,
Et larga culter vulnera jactitat.
Quot AZEBEDI claſſe tota
Inficiunt rutilante Pontum,
Latéque fuſo ſanguine Braſilas
Ripas colorant? integra flumina
Cruore noſtro conſecrata,
Tota alibi maria erubeſcunt;
Luctatus inter funera Nereus
Mutat cruentis mortibus alveum.
Quot ſunt LATERNÆ, qui Süeco
Naufragium patiuntur Iſthmo,
Mixtóque Pontum ſanguine purpurant?
Tranſverberati pectora Lanceis
Quot ſunt gigantes gente forti.
Non Japonum veriti caminos?
Quà Nangaſachum, Regia Civitas,
Negotioſo litore conſidet,
Commercijs pollens, & auro,
Atque foro celebrata multo,
Tuere campos, aſpice ſpicula
Diri mucronis, cúmque ſecuribus
Faſces, cruentandáſque toto
Monte cruces, ſeriem thronorum.
O! quæ Supremo, quæ Nova Francia
Tormenta vidit tempore, vel dedit?
Undantibus flammis bibendum
Ipſa parans, ſubigénſque dira
Fornace plumbum faucibus impluit,
Candente multo ſulphure crapulâ.

Quot

Quot maceratum bulliente
Igne ſcyphum Pugiles bibere?
Exuberantis ſanguinis omnia
Sunt plena paſſim, quà patet ambitus
Hoſtilis orbis, congregantur
Carnifices, rigidique Faſces.
Sunt, qui coruſco nos gladio petunt,
Enséſque tingunt murice plurimo;
Sunt & Tyranni, qui reducto
Nos rigidi laqueo coronant.
Præclara dicam nonne crepuſcula
IGNATIANO poſthuma funeri?
Fruſtráne formoſo rubore
Sol obijt, radiante morte?

ODE VIII.

Miſerabilis Hominis recèns nati conditio, & ortûs ipſius miſeria.

INfauſtus ortus, qualem homini dedit
Natura rerum fertilis artifex!
Imbelle fruſtum, deſpicatus
Fungus homo eſt, ubi matre prodit.
Quàm bruta nobis corpora dat Parens,
Et deſpicato creta coagulo?
Impenditur proli cloaca,
Spumáque ſordida naſcituræ.
Implume ſocors eſt animal homo,
Merúſque mucus, fœtida portio.

Blæ-

Blæſas gravamus mole cunas,
Inque rudi gremio jacemus
Nudi, ligati brachia faſcijs.
Non veſte culta naſcimur, aut togâ.
Pennata nobis non juventa,
Nulla datur manuum facultas.
Dentata non ſunt ora, nec organa
Perfecta mentis, nílque ſcientiæ
Ineſt cerébro. pigritante
Exoritur ratio lucernâ.
Intelligendi tarda crepuſcula.
Hærétque longis ingenium moris,
Et ipſa neſcimus parentis
Ubera ſugere puſiones.
Feliciores parte ſua feras,
Ortúque primo dixero beſtias:
Naſcuntur ipſæ palliatæ,
Pellibus, atque pilis venuſtæ:
Gallina plumis editur obſita,
Roſtrúmque ad eſcam nacta famelicum:
Cancríque loricâ ſagati,
Gens liquidi cataphracta regni;
Piſcéſque Squamis tergore lubricis
Naſcuntur omnes remige corpore.
Teſtudo ſpiris fornicata
Gignitur, & tenerâ ſciurus
In pelle currit totus edaculus:
Equi ſuperbus filius ungulâ
Laſcivit agro vix bimeſtri,
Et vitulus petulante geſtu,

Matrí-

Matríque pulchra criſpus Epomide
Alludit agnus. mox volucres canunt,
Scalámque nôrunt temperare
Gutturis, & cicurare vocem.
Iſtis talentis ſolus homo caret.
Informe fruſtum naſcitur, hiſpidi
Ceu partus Urſi, quem madore
Perficit aſſiduo ſaliva.
Confuſa molli membra tremunt cute,
Turpíſque maſſa ex ſemine putrido.
Cur ergo vanùm gloriaris
Fronte tua, ſpeciéque funge?
Cur inſoleſcis bulla leviſſima?
Fruſtra ſuperbis ſpuma miſerrima.
Ortúmne nôſti purulentæ
Materiæ, ſaniémque vappæ?

ODE IX.

VOTUM

AD CHRISTUM RECENS NATUM, PACIS PRINCIPEM,

Ut ſe inter Chriſtianos Reges pro Belgio decertantes Mediatorem interponat, pacémque reſtauret

ANNO M. DC. LXVIII.

FIli Supremi Præſidis unice,
Puelle florens, Pacis amans DEUS,

Qui bellicoſo cum Leone
Ire facis patiente curru
Lætos juvencos unanimi jugo,
Qui diſcolores multiplici cute,
Frendente rictu contumaces
Voce Tigres, agiléſque Pardos
Sermone placas, qui rabidum Lupum,
Ut parcat agnis, & vitulos amet,
Lepôre mulces eloquente,
Et cupidos inhibes molares
Gregi minantes, dentibus aſperam
Tot beſtiarum qui prohibes famem,
Ne delicatis helluentur
Carnibus, innocuáque caulâ,
Vides, ut armis triſtè micantibus
Exaſperatum ſtet nece Belgium?
Nôſtin', potentes ut Monarchæ
Diſſideant, calidóque Marte
Ut æmulati jam coëant Duces,
Et valla nutent? ut trepido ſitu
Pinnæ labaſcant? ut propinquum
Exitium fugiant coloni
Vagi per urbes? ut timeant mori?
Vides ruinas, fatáque gentium?
Ut Chriſtianis intumeſcant
Flumina cladibus, & cruore?
Ut pinguefactâ litora margine,
Et ripa multo ſtrata cadavere
Sordeſcat, aurâ peſtilente
In pecudes, hominéſque ſævam
Ructan-

Ructante strагem? viribus aspicis
Ut atterantur robora mutuis?
Ut Regna ferro devorentur,
Et gladij truculentus ardor
Cruore fuso sæviat in probos?
Tu dissidentes concilia Duces,
Læsósque Reges, feriari
Arma jube, gladiósque strictos.
Huc usque fratres nostra profundimus
Exulcerato viscera spiculo,
Et inverecundum Gradivum
In proprios stimulamus artus.
Cur gloriosi tam malè spiritus,
Et Christianus prodigitur cruor?
Domesticis cur militatur
Litibus, & patriæ ruinis?
In perduelles cur pius advenas,
Sævósque Turcas non agitur furor?
Beata cur non vindicamus
Regna Arabum, Phariúmque Nilum?
Tu, CHRISTE, Princeps Pacis, & aurei
Fundator ævi, nate silentio
Clementis orbis, Regibúsque
Pacifico dominante Jano,
Te Fecialem partibus ingere,
Et fulguranti Sole reciprocas
Tene machæras, cladibúsque
Sanguineis prohibe Monarchas:
Tu fluctuantem milite Flandriam
Solare læto fœdere Principum;

Tu

Tu Geldriam bello flagrantem
Pacifico cumula triumpho:
Tu ludibundo fluxa volumine
Vexilla rurſus bellica collige,
Tubáſque raucas, tympanorum
Continuo reboante bombo,
Leni fragorem, & murmura contine
Vocalis æris. disijce ſpiritus
Bello tumentes, innocentum
Exitio, jugulíſque parce.
Fac, ruſticanis cornua jubilis
Lætis per agros plauſibus ejulent;
Tubíque de ligno cavato
Pacificos revomant ſuſurros
Inebriati pace domeſtica.
Pacatus aër clarior inſonat,
Quàm militari qui coactus
Infremit halitus ex metallo.

ODE X.

Peſtilentia doctrinæ Machiavellicæ exagitatur.

HEu peſtis tragicis luſibus inclyta,
Excita ex Erebi ſedibus intimis
Doctrina, in cerebro quæ, ſtyge conſule,
Cuſa eſt Macchiavellico!
Nil tutum à dubijs fraudibus, aut dolis.
Mens non ingenuis picta coloribus

Aſtutè

Astutè simulat, dissona frons micat,
Nec promens animi scelus
Mansueta in speciem vultibus annuit,
A tergo invidiâ præcipiti furit:
Perplexis agitur consilijs dolus,
Vestitur nitidâ togâ.
Audi propositum. Sic memorat Sophus:
Fac sceptro spatium, quêis potes, artibus.
Subtiles remove providus æmulos,
Clam ferro perimas, licet.
Grassare ad Regimen morte, vel ignibus.
Si quis restiterit, tolle moras nece,
Propina taciti pocula toxici.
Non captat solium duos:
Vitæ lætitiam, blandáque commoda,
Quæ corpus recreant, illecebras gulæ,
Carnis luxuriam delicijs eme.
Post mortem superest nihil.
Quid restet? moritur totus homo simul.
Nil te commoveat ludibrium stygis.
Deliræ vetulæ sunt mera somnia,
Quicquid constituit fides:
Non pingui nebulâ, non pice torrida
Styx fumat. rigidus non datur Æacus.
Non urit rapido flamma volumine:
Docta est fabula Tartarus.
Nemo illîc patitur, nulláque prœmia
Virtutem afficiunt. Supplicij nihil
Sontes accipiunt. vivite, dùm licet,
Nil à morte relinquitur.

Hæc decreta ſcholæ ſunt temerariæ,
Hæ leges pecudum, quæ patientiam
Divinam lacerant, & malè lubricâ
Serpunt in populos leprâ.
Impunè has ſiliquas ex olido grege
Venum quis cupidis proferat Urbibus?
Cur pullos Veneris, cur duplices ſues
Non ſævo inſequimur rogo?

ODE XI.

GERMANIA, Avaritiâ, Diſcordiâ ceteriſque vitijs perdita deploratur imitatione Horatianæ Odæ 3. Lib. 3.

GErmana Tellus vendita ſordibus
Fulvi metalli eſt, fracta peculio
Fides Avorum, candidata
Simplicitas violata fraude eſt.
Nil temperata diligimus ſiti.
Nec ampla vaſtis ſe regionibus
Sinit cupido mancipari,
Aut vetitæ ingluvies monetæ
Ullo teneri ſe patitur loco,
Ceu rivus alti litoris immemor.
Eviſceratis concupita
Quæritur agricolis medulla

Depau-

Depauperatis in loculis Codri.
Servile vulgus militat aureæ
Bolis crumenæ. fraudulentus
Sæpe labor ſimulatur ære.
Turpi elocantur corda pecuniæ,
Aurique proſtant undique nundinæ.
Quàm dulcè tinnit clangor æris,
Cùm manibus nitet Euclionis?
Urbes in ipſas aggere plurimo,
Vallóque firmas ingreditur dolus
Argento inunctus, proditúrque
Hoſtibus arx, adamante clauſa.
Sunt plena Verpis omnia. nuſpiam
Stat Chriſtianâ fronte fidelitas,
Pactámque verbis caſtitatem
Imminuit dolus interemptor.
Promiſſa plenis grandia faucibus
Effutiuntur, ſed vade nemine.
Immenſa dicto polliceri
Immemorum ſtylus eſt Thraſonum,
Servare, quædam eſt ruſticitas, fidem.
Quæ ſunt iniquis parta laboribus,
Cuſtodiuntur. pervicacis
Gliſcit Avaritiæ Tyrannis.
Novêre Lippi, plébsque Triaria:
Sceptri potentis Teutonicum Thronum
Fatalis, inceſtúſque judex,
Et ſcabies peregrina morum
Sus-déque vertit. Bellica natio
Exuxit uber fertile Patriæ,

Auróque mulctatos Colonos
Legitimis viduavit arvis.
GERMANUS ex quo deseruit Fidem,
DEIque Legem, deterior quoque
Fortuna facta est. corrogatum
Latro tulit peregrinus aurum,
Partúmque longâ pace peculium.
Nostrísque ductum seditionibus
Recruduit bellum, advenarum
Sævitie, gladiisque gestum.
Mutata scena est optima, pessimâ,
Et Sors, Novercâ. Quæ Regio potens
Orbi imperabat, dum superba
Illa viris, opibúsque florens
Concordiarum vincula noverat,
Et fœderati robora militis,
Olim triumphatis valebat
Armipotens dare jura Turcis,
Illa ipsa latè Nomen in ultimas
Extendit oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afris,
Quà varium bibit alga Nilum.
Olim per æquor ferrea Græciam
Transnavigârunt corpora Teutonum,
Vultúque torvo constitere
Odrysiis cataphracta Regnis.
At nunc dolosis Imperium ruens
Latè involutum retibus occidit,
Armísque iniquis præliatum,
(Omne sacrum rapiente Marte).

Spe-

Spectans agonem, funera cogitat,
Et comparato jam feretro jacet.
Hostilibus cras efferetur
Teuto humeris, tumulandus armis.
Non hæc jocosæ conveniunt Lyræ.
Quò Musa tendis? desine pervicax
GERMANIÆ cladem referre,
Sanguineásque iterare thermas.

ODE XII.

D. IGNATIUS LOYOLA

Ex obvijs objectis in DEVM rapitur.

SIve formosi LOÏOLA Cœli
Fornicem spectat vigilante SOLE,
Et Poli risum, croceíque Phœbi ex-
-aminat aurum
Igne crinitum nitido, comásque
Lucidè pexas. nebulosa sive
Luridi cœli Jove fulminante
Atria lustrat:
Sive confusis inimica rixis
Mente pertractans, Elementa volvit:
Seu leves ventos, toties rebelles
Carcere fracto;
Vir sibi quovis similis theatro est,
Et joco Sortis. nihil is querelæ

Promit, aut ſpiſſas fremebundus aſtris
Exprobrat Umbras?
Sive hiems, ſævâ redeunte bruma,
Frugibus mulctans ſpecioſa rura
Tondeat ſilvas, & odora campi
Gramina perdat;
Sive felici remeante Vere,
Luce jam forti, ſtabilíque Sole,
Functa moroſo rediviva ſurgat
Flora ſepulcro:
Sive pincernas pluvialis undæ
Turbido ſpectet Zephyros Olympo,
Sive formoſum facie ſerena
Ludere Phœbum;
Stat ſibi rurſus ſimilis, puſilli
Floris aſpectu ſatur ad ſupremum
Numen aſcendit, refugúſque terram
Nauſeat omnem.
Nil Virum caſus humiles, vel infra,
Quicquid in ſphæra geritur rotunda,
Commovet, ſupra procul eminente
Pectore fertur.

ODE XIII.

S. FRANCISCI XAVERIJ

In adverſis Conſtantia.

NOn, ſi triſulcis mugiat ictibus
Diſcerptus æther, & trepidos ferax
For-

Formidinum Tellus profundo.
Proferat ex gremio fragores;
Non, si charybdes syrtibus ebrias
Ingurgitatus Nereus evomat,
Tempestuosus vel Caphareûs
Horribiles moveat procellas;
Non, si cruentis prœlia Mars potens
Intentet armis, aut furor improbus
Succensus Ætnæo camino
Ignivomâ flagret officinâ,
FRANCISCE, cedes mortibus, aut minis
Etsi vel Orbis subrutus infimo
Inclinet orco, nemo tantam
Eijciet statione mentem:
Rides corusca luce serenior,
Titanis instar, tetrica nubila,
Infra feruntur. nulla vultum
Inficiet macula, aut vigorem
Exuberanti lampade profluum.
Stas æviterno marmore fortior,
Ridésque ventorum procellas
Et tumidos Aquilone fluctus:
Sive efferatâ barbarus indole
Exsurgat Indus, sive ferox Japo
Ignes minetur feriatos,
Sive Cafer petulante tela
Emittat arcu; sive Mogor potens,
Diríque Parthi (vix homines) fremant;
Cervice prona stat parato
XAVERIUS feriendus ense,

Decente ad ictum compositus situ,
Deliberati propositi tenax,
Sint mille quamvis porrigendæ
Carnifici, laqueóve vitæ,

ODE XIV.

Voluptatis cujusvis Ætas cum Iride comparata.

CUm fortè cultis se pluvius Polus,
Nictante Phœbo, nubibus induit,
Et elevatis stans Olympo
Crapula dissimulata nimbis
Sensim modestis imbribus effluit,
Natura prægnans parturit Iridem,
Sedénsque pingit gratiosum
Insolitæ novitatis arcum:
Námque eruditas ducit amabili
Cruore tinctas pollice lineas,
Multóque potum purpurisso
Exarat illacrymans nitorem,
Arcúmque curvat tramite flexili:
Dein colores expedit igneos,
Nubésque pigmentans opacas,
Et pluvio maculata rore
Fluenta Cœli sanguine perlinit,
Florentis addit graminis aream,
Smaragdini succi virorem
Explicat ingeniosa pictrix,

Phœ-

Phœbíque lumen prodigit aureum.
Stupenda patrat mirus in omnibus
Sol obſtetricatus parenti,
Cùm nitidos animat colores.
Perfecta jam ſtat lucida fabrica
Nimbo Architecto, quæ medijs ſuas
Cunas recenſens ex procellis,
Multiplici variante fuco,
Pandit theatrum. cultior aſpici
Refulget Iris luce quadruplici,
Pavóque cœleſtis ſuperbâ
Veſte micans rapit intuentes.
Non tam decoro ſanguine pingitur
AURORA, Cœli fimbria lucidi,
Cùm manè primo blandiente
Explicat ambroſiâ roſetum;
Non tam pudicâ cyclade fulgurat
Marita Phœbi. Sed ſubito gelu
Expallet ardens ille vultus,
Et moritur ſpecies venuſta.
O quàm nec ipſis ſidereis plagis
Perenne quiddam conſidet uſpiam!
Nil dico de terra, vel unda:
Nulla diu remanet voluptas:
Egreſſa cunas vix bene, jam perit,
Mutat colorem, marcida concidit,
Vix faſcijs bellè evoluta
Forma fuit, moribunda ſqualet:
Vix per plateam gutturis, & gulam
Trajecta blanda eſt eſca volubilem,

Perdit ſaporem, concitátque
In ſtomacho febriens tumultum.
Percepta vix eſt Muſica dulcibus
Criſpata chordis : Ecce! perit ſonus,
Silétque torrens gratiarum,
Ni digiti refricent periti
Vocale ſtamen. conticet organum,
Contentioſo ni pede vapulet:
Utrique, linguâ feriante,
Auriculæ lubet eſſe ſurdæ.
Vix viſa imago eſt, quæ placuit ſuo
Formoſa vultu; viſáque deſinit,
Ubi, relapſo palpebrarum
Ponte, oculi vigilare ceſſant:
Nares odorâ vix dape paſcimus;
Exſpirat omnis lacryma Balſami,
Arábſque ſudor delicato
Tempora deſtituit ſapore.
Eheu! quid ergo nos homines ſumus!
Fallacis inſtar naſcimur Iridis,
Inter procellas, inter imbres
Gignimur, horribiléſque nimbos;
Primam profuſis fletibus inſcij
Damnamus horam, plurima lacrymis
Datur facultas, pérque totum
Strenua continuatur ævum:
Dein puſillo tempore pingimur,
Vano micamus fulguris impetu,
Blandáque fulgetrâ nitemus,
Quæ ſubitò eſt, ſubitóque non eſt
Sem-

Semper fugaci luce volubilis.
Brevi placemus tempore visui:
Et ecce! morti victimamur.
Nulla manet diuturna forma,
Omnis voluptas bulla brevissima est,
Inflata vix est, vitrea dissilit,
At, cùm doloris subsequentis
Fit genitrix, nimis illa longa est.
Quid ergo falsis mergimur in bonis?
Cur pertinacem reijcimus statum?
Cur vana sectamur jocosi
Ludibria, illecebrásque Mundi?

ODE XV.

AD ILLUSTRISSIMUM FABIUM CHISIUM APOSTOLICÆ SEDIS AD PARTES GERMANIÆ LEGATUM. POSTEA ALEXANDRUM VII. PONTIFIC. OPT. MAX.

Virtus ipsius & Regimen fluvio comparatur.

VIvace nil est commodius lacu,
Qui sumptuosis Urbibus adnatat,
Murósque lambit, lubricúmque
Mœnibus insinuans liquorem

Procedit ultra præcipiti fugâ
Negans teneri, ut ſerviat omnibus,
Argenteas trudit procellas
Dives aquæ, nimiúſque venæ
Procul micantem concitat alveum
Ductis meandris, & famulis aquis
Neceſſitatem menſus, amplâ
Errat humo, ſteriléſque ripas
Provinciarum perpluit imbribus:
Quacunque tandem præterit helluo,
Arente fruges ex medulla
Progenerat, bibuláſque valles
Implens ariſtis, munificas loco,
Relinquit undas: viſcera corrigit
Improlis agri, fertiléſque
Amplificat regione fluctus.
At non egentes flumine ſufficit
Potâſſe terras, circuitu ſuo
Munire gaudet civitates,
Et liquidis iter eſſe campis
Vetans ad Urbem, quà fluit, hoſtibus
Opponit amnem, colligit alveum,
Undáſque remis verberatas
Diluvio redeunte ſanat,
Nec decolores ſanguine gurgites
Curans, ſtat inter vulnera Martius,
Mergítque, quotquot per liquentes
Ire parant temerè procellas:
Ad hæc ferendas, ſi jubet inſtitor,
Lubente merces ſuſcipit æquore,

Por-

Portat, reportat, transvehítque,
Et patiens ſinit ire naves
Spumante tergo; ſæpius integram
Sylvam virili flumine ſuſtinet,
Ab urbe promanans ad Urbem
Civibus, indigenísque ſervit.
Quo fine tandem talia dicimus,
FABI, Sacrorum Maxime Præſulum?
Te conſpicatus, perſpicaci
Cerno vitro, niveóque fundo
Amnem ſerenum, criminis integrum,
Qui nuper oras Teutonis alluit,
Pacémque tractans vulneratam
Hæreſibus, lacerámque bellis
Curare ſolers undique Patriam
Fluenta paſſim larga ſcientiæ
Sparſit per orbem, concitatam
Exſuperans pietate famam,
Quæ Te præivit, quæque pediſſequa
Strinxit migrantem prodiga buccinæ,
Stupente dotes Allemanno
Conſilij, volucrémque mentem;
Tuam biberunt munificentiam
Periclitati prædia Weſtphali.
Impreſſa durant obligati
Signa animi, memorísque mentis:
Quàm prompta cepit deflua de tuo
Plebs illa ſupplex balſama flumine?
Quàm gratioſis irrigata
Terra fuit ſitiens procellis?

Cen

Ceu, cùm feraci gurgite torridos,
Et ſole coctos Nilus inebriat
  Fæcundus agros, pullulare
    Incipiunt generoſa prata:
Sic, Te nocentum Præſide temporum,
Germana Tellus læta refloruit,
  Pacíſque prægnantes olivæ
    Innocuis viruere baccis.
Negotiorum turbine ſtrenuus,
Mæſtíſque rebus diſſimilis ſibi
  Nunquam relucens, ſemper idem
    Maſculeâ remanente fronte,
Tersóque ſudus fons ſpeculo nitens
Nunquam probroſâ nube, vel imbribus
  Turbatus ullis, caſtitatem
    Virginei tenuit coloris:
Munita ſemper conſtitit omnibus
Sub Te Patrono Relligio locis.
  Factæ rapinæ ſunt reſartæ,
    Inque ſacras petulante furto
Graſſata væcors Hæreſis Infulas
Frænata, curſu dum medio volat
  Gaviſa partis, reſtituto,
    Succubuit furibunda regno,
Per Te Gradivus deſijt Arcticus
Exeſſe juſſus finibus Imperî.
  Latrocinatum Tu furorem
    Sacrilegum pede ſtante calcas;
Tu ſanguiſugis enſibus, & ſtylo
Demis ſaporem, luxuriantibus

Armis

Armis fatigatum appetitum
Innocui reprimis cruoris.
Nec jam minori prodigus alveo
Terras inundas OPTIME MAXIME,
Dum ritè translatus supremum
In solium, placidus per omnem
Te vertis Orbem, propitio throno,
Regnóque amoris mitior omnibus
Magnete tractans erudito
Indociles, docilésque mentes
Tibi lucraris: leniter influis
In subditorum candida pectora,
Sacróque donatos favore
Corde Tuos geris in paterno

ODE XVI.

DEVS mirus in rebus creatis artifex, & ultimus noster finis esse ostenditur.

ARtifex Summus DEUS est. theatro
Ludit extructo bipatentis orbis,
Cui præest solus, dominóque flectit
Omnia nutu.
Hunc colit junctus Pyroënte currus,
Sólque natali rediens grabato,
Quando Erythræis, posito veterno,
Surgit ab undis:

Ille

Ille nocturnas tacitam per umbras
Cynthiam pleno jubet ire vultu,
Ille diverſo tremulas locavit
Ordine ſtellas:
Ipſe divinis oculata flammis
Templa cælorum, Superúmque ſedes
Gemmeas ſtruxit, docilíque limâ
Aſtra polivit:
Ipſe clementi vegetavit herbâ,
Atque ſpumoſo ſatiavit amne
Circulum terræ; ſociavit undas
Antè diremptas.
Ipſe fraternas moderatus iras
Ignis atque undæ, geminos in arcta
Pacta privignos revocans, benignos
Aptat ad uſus.
Quære, quis certis Elementa metis
Collocet, flammas levet, ac inertem
Deprimat terram, madidáſque ventis
Alliget alas.
Unus eſt alto reſidens Olympo
Rector, hic Orbis ſpacioſa regna
Providus ſervat, Procerúmque ſævos
Temperat enſes.
Cernis humanum fragili ſubactum
Corpus è teſta? ſcapulis lacertos
Artifex junxit Deus, & propinquo
Guttura collo:
Ille pupillas radiis inaurat,
Et pedes nervo ſolidante firmat,

Ille diffuſas animat fluente
Sanguine venas.
Ille ſuccosâ ſtatione carnem
Dividit membris, hominémque veſtit,
Pelle circumdat, veluti corymbis,
Oſſa columnas.
Omne, quod vaſto ſpatioſus æther
Ambitu ſepit, digitum potentis
Prodit Auctoris. Sapiens Magiſtrum
Fabrica laudat.
Ille ſupremus dominante ſceptro
Plenus eſt purâ bonitate finis,
Terminus rerum, ſtabilíſque fluxæ
Regula vitæ.
Huc eant omnes animis, & unâ
Mente conſpirent, ubi vera regnat
Summa votorum. generoſa meta hæc
Floreat una.
Nil ineſt ſucci ſceleri. ſequenda
Futilis non eſt uteri ſagina,
Nec voluptates. ſcopus unus eſto,
Quærere Numen.
Fallitur, quisquis fragiles honores,
Corporis dotes, ſtimulóque mollis
Obſequens carnis ſcelerata mundi
Gaudia prurit.
Fallitur, quisquis moritura fulvi
Dona Pactoli nimiùm tenaci
Ungue corradit: pereunt avari
Furta metalli.

Qui ſapit, Cælum ſibi nundinatur,
Juſſa divino ſtabilita jure
Cautus obſervat, ſolidæque quærit
Præmia vitæ.

ODE XVII.

AD ILLUSTREM JUVENEM FRANCISCUM PIGMENIUM

Non omnes Nobiles, & Illuſtres noſtro tempore doctrinæ ac pietatis gloriam quærere.

FElix, qui geminis dives honoribus
Virtutem didicit jungere ſanguini.
Verè Nobilis ille eſt,
Cuî ceras pietas dedit.
Non quicquid nitidum ſanguine nobili
Prodit, continuò ſpirat Apollinem,
Nec qui ſtemmate magnus,
Doctus naſcitur, aut ſophus.
Non ſemper placido docta Scientia
In vultu reſidet. palliolo rubro
Metatrix generoſa
Non ſemper tegitur Dea.
Non cuî purpureis picta coloribus
Formoſa eſt facies, blandáque frons micat,
Hoc ipſo ingenioſus
Deformes reliquos præit.

Sub

Sub torvo capite, & fronte capra latet
Docti vir cerebri, sub rigidis pilis,
Sub mento nemoroso,
Sylvestríque coma viret
Doctrina ingenuo nata senatui.
Non raro agricolæ filiolos creant
Magnis dotibus aptos,
Celsísque officiis pares:
At contrà nitida sub cute straminis
Vis ingens residet sæpe recondita.
Crebrò fallit imago,
Externíque hominis typus.
Pulchris exuvijs ludimur inscij,
Fallunt nos oculi. forma boni nequit
Fungi munere testis.
Oris sæpe loquaculi
Concinnâ sciolus veste superbiens,
Crispâ Cæsarie comptulus omnibus
Præfertur Ganimedes,
Quamvis sit stupidum caput.
Totum stat juveni sæpe negotium
Si scitè tremulum scindere poplitem
Gestu supplice nôrit,
Si vestigia misceat:
Si certis phaleris verbula proloqui
Cum pompa didicit; si choreas sciat
Cautâ ducere librâ,
Si sit flexilis histrio:
Si centum ligulis Psittacus Indicus,
Et pennis volucrem comere pileum

Nôrit. Si pede furtim
Terram lambere doctus est.
Heros est, olidas pulvere qui comas
Longos in laqueos pectere calleat,
Largíque helluo Bacchi
Plures qui tumulet mero:
Qui curto gladio per plateas vagus
Trux vespertilio nocte lacessere
Ausit murmure ronchos,
Et perstringere pumices:
Facundus Cicero est, qui meretricius
Obscænùm pipit, & putris anhelitu
Qui mendacia cudit
Farto pinguia corpore.
At Tu, qui radiis gemma domesticis
Resplendes, animæ pars melior meæ,
Tu, FRANCISCE, tenellus
Musæ es pullus amabilis.
Te Pallas genuit Semideûm parens,
Et castis animum legibus imbuit,
Omnem natus ad artem
Lactatrice Deâ places;
Virtutes stabili conjugio ligas
Doctrinæ socias, téque perutilem
Pulchro munere præstas,
Ut quondam Patriam regas.

ODE XVIII.

ODE XVIII.

Fatalis temporum avaritia, & oppressio Pauperum deploratur.

PLerunque furtis, vel tacito dolo
Consarcinatæ plùs recreant opes
Heros iniquos, quàm benigno
Quæ titulo bene parta justis
Domi recumbunt munera scrinijs.
Vilescit aurum sæpe domesticum,
At quod labore est subditorum,
Aut inopis spoliis popelli
Vî corrogatum fortè peculium,
Fulgore multùm præstat amabili,
Et blandiori sauciatos
Ære oculos, faciémque palpat.
Sic est. propinqui plus habet uberis
Pecus Coloni. plus habet exterus.
Placent rapinæ, sumptuosâ
Perfidia accelerata fraude.
Delectat aurum, quod fuit Indicis
Promptum fodinis, mille periculis
Emptum metallum. quæ remoto
Vena latet pretiosa fundo,
Amœniori tinnit in auribus
Externa pulsû. quæ pelagi moras
Enavigavit, merx probatur,
Si per iter veniat remotum,

Per

Per mille flexus, & furias maris,
Per vorticosi prælia Nerei,
 Everberatas quæ per undas
  Advehitur, liquidásque mortes:
Placet superbo nomine raritas.
Jam nemo ventos, aut mare spe lucri,
 Montésque aquosos pertimescit,
  Aut pelagi refluentis æstus,
Timétve sævas diluvij minas
Infame centum naufragiis fretum,
 Scyllásque latratas molossis
  Æquoreis, tumidisque Syrtes
Phocis natatas. nemo timet lacus,
Instárque montis corpora piscium,
 Ferocientes nemo gentes,
  Et trucium populum Insularum.
Imus per ignes, per medias aquas
Grassamur ultra, per mare naufragum.
 Supra procellas elevati
  Scindimus indomitum liquorem:
Negotiosi litora Japonis,
Ripásque pingui fœnore divites,
 Ærarium Gangis potentis
  Illicitis violamus armis,
Armamur hastis. ipsa suburbia
Prætenta Diti, mænia Tartari
 Nocente inundamus irâ,
  Et cupido laniamus ense:
Vix ipse Pluto tutus in abditis
Tellure regnis. sæpius accidit

Tumul-

Tumultuantûm vis ligonum
Terribilis ſtygias ad aures,
Ut inde flavi diripiant lucri
Orci culinæ proxima fœnora:
Terram profundam, perforatâ
Matre piâ, jugulamus armis.
Ubique Martis ſigna relinquimus,
Et civitatum tota cadavera,
Truncáſque turres, advenáſque
Exigimus Patriâ, & penates
Damnamus igne. hinc feſſa malis jacent
Emuncta paſſim regna pecuniâ.
Hinc ſudor omnis ſubditorum
Prodigitur, tenuíſque pellis,
Unáque ſimplex abſtrahitur cutis:
Exſucta proſtant oſſa, nec uſpiam
Medulla comparet, ſed atrox
Innocui pecoris macellum.
O ſanguiſugæ queîs tumidæ ſcatent
Cruore venæ! vos inopum bona,
Vitámque, fortunáſque Achivûm,
Vos miſeros editis Colonos.
Veſtra eſt voluptas glubere ruſticos,
Et innocentem cum corio gregem
Patente rictu devorare,
Et barathro ſepelire vaſto.
Clamant diſertæ verba pecuniæ,
Pœnáſque Cœlo vindice devocant,
Armatus orator laceſſit
Aſtra cruor, miſerúmque ſudor.

ODE XIX.

ODE XIX.

AD NOBILEM JUVENEM EMANUELEM MANTICUM ASSIDUO MEDICINARUM USU PERDITUM.

Ut deinceps iis abstineat.

QUàm te sereno sæpius aëre
Videre mallem corpore strenuum
Exire in hortos, & patentes
Luxuriâ viridante campos?
Ut ludibundo Te potiùs gradu,
Quàm tortuoso vix pede pendulum,
Videre mallem saltitantem
Vere novo, medióque Majo,
Dum cuncta rident, & placidis comis
Crispatur arbor, dum sine fœcibus
Crystallinæ funduntur undæ,
Et vitreâ nive candidati
Fontes amœno frigore bulliunt,
Blandâ parati lætitiâ bibi:
Phonasca dum passim resultat
Silva, choro variata pleno,
Et floridorum jurgia gutturum.
At occupatum te retinet domi
Molesta morborum catena,
Et querulo religat grabato.

Assur-

Aſſurge tandem. plus mihi, MANTICE,
Spero deinceps, quàm Medicis, dabis.
Contemne paſtillos Medentum
Non juveni ſtomacho litandos.
Plus eruditus plus cocus efficit,
Plus ſanitatem, quàm Medicus, juvat.
Embamma quid prodeſt recoctum,
Quiſquiliæ, inſipidæque fæces
Docti veneni? clam perimunt favi,
Sensímque vires corporis exedunt
Mordace ſucco. vultuoſus
Nil juvenes relevat Galenus.
Serpente plenis, obſecro, quid Scyphis
Sophi propinant, qualia juſcula?
Qualem paludem? quam mephitim,
Quæ juvenes populetur annos?
Vides, ut atrâ pocula liveant
Diluta ſpumâ? malo ſiti mori,
Quàm diſcolores has lacunas,
Et maculas bibere obſoletas.
Vah! quanta primùm, dum ſubit intimum
Vis illa ventrem, ſeditio domi eſt?
Vah! quanta gliſcunt præliorum
Semina, materiéſque belli?
Ut ventilatis corporis ilijs,
Expergefactis murmura tympanis
Alvo reſultant, & tonantis
Ventriculi reſonant querelæ?
O quos latratus, quos gemitus ciet
Imis receptus viſceribus dolor!

Eméſne tanti ſanitatem,
MANTICE, deſidiámque vitæ?
Serva diætam. plus tibi proderit
Ars abſtinendi, quàm medicus Labor.
Permitte conari juventam,
Scit faciles ſuperare morbos.

ODE XX.

Multiplices in Juventute præſertim, & reliqua humana vita peccandi occaſiones dari, oſtenditur.

NOn tot probroſis uritur lappis ager,
Tribuliſve campus degener vaſtis patet,
Nec tanta veprium copia urticis riget,
Quanta improborum meſſis eſt.
Ubique regnant ſcelera, criminibus ſcatet
Populoſus orbis. cura quantumvis vigil,
Oculique Themidis excubent, prodeſt parum
Legum minax cuſtodia.
Quis calcitrantem ſepiat juvenum indolem?
Quis fraudulenti ſceleris ingenium premat?
Quis impotentis Veneris inceſtas faces,
Ætnámque turpem ſopiat?
In vetita proni nitimur. nemo moras,
Nemo protervo caſui metam jacit.
Quis tot profanos angulos cuſtodiat?
Abſtruſa quis cubicula

Intacta

Intacta servet scelere, labísque integra?
Occasiones amputet? genium domet?
Vir est virorum, quisquis indocilem premi
Victor juventam subjugat,
Primósque motus frœnat, & palmam refert.
Faciliùs Hydras stravit, & torvos apros
Spumante rictu, dente fulmineo truces
Pugnator audax Hercules.
Ubique statio prœlij est, intra & foris
Hostes lacessunt. perdita hinc studijs suis
Natura fragiles sæpe, & invitos trahit;
Incentor illinc Tartarus
Irritat audax fomitem: speciem exhibet.
Foro propinat nundinas, merces parat,
Illicia varia monstrat, & miseros capit,
Ceu qui volúcres decipit
Splendente visco: futilem apponit dapem,
At servitutem, retia, & laqueos procul
Abscondit auceps, donec incautam suis
Prædam cavernis implicet.
Speciosa fraus est dæmoni: humanas procis
Formas tuendas obijcit, pulchrum typum,
Blandum colorem, virginem frontis nivem,
Ebúrque colli lacteum:
Illum metallo tinnulo, & flavo luto,
Cistáque nummis turgidâ, & gemmis capit,
Illum potente gloriâ. prensa est avis
Captiva sero carcere:
Non evolabit ampliùs. clausa est fugæ
Omnis facultas, languidas pennas trahit

Imbellis Animans. crimen invaluit morâ,
Falcem medentis respuit.

ODE XXI.

Vis ac diversitas divinæ gratiæ in Justis & peccatoribus similitudine creati Solis ostenditur.

QUiscunque tandem lucida Sidera
Nictante cernit fronte trementia;
Aprica Cœlorum theatra
Propitijs vigilata flammis
Quisquis severâ mente perambulat,
Solare lumen præ reliquis stupet,
Vastíque cursoris decorem
Suspicit, Oceanúmque Lucis,
Qui copioso profluvio frequens,
Sibíque nunquam dissimilis micans
Diversa diversis in oris
Efficit inferiore terrâ:
Sursum politi luminis aurifex
Mendica vestit Sidera fulgure,
Parúmque Stellæ impertit uni,
Plus alij, invariatus in se:
Infra creatis insinuans fibris
Suum vigorem, plus teneri foci
Præstantibus rebus ministrat,
Et famulos moderatus ignes

Plus

Plus officinæ, plus facis inclytæ
Propinat auro, quod radijs coquit,
Plus fabricando dat metallo
Luminis, ingenuísque gemmis,
Quàm rure ſpinis, vepribus, aut rubis:
Ille ipſe ceram molliter afficit,
Fluxúmque procurat ſequacis
Materiæ, tepidáſque guttas,
Lutúmque contra durius efficit,
Terrámque ſpiſſat lumine torridam.
Diverſa diverſis patrantur
Corporibus, ſatagente Phœbo.
Hæc eſt imago NUMINIS, & typus.
Dat plus amicis, & reprobis minus:
Indurat iſtos, mollit illos.
Dona ſuo variant favore.
PETRUM negato Numine perfidum
Divinus ignis nube facillimâ
Liquavit in nimbos, ſalubri
Flere dedit ſcelerata rivo
Mendacis oris ſcommata: lacrymis
Nefas redemptum eſt ſacrilegi labri.
Ægyptium contrà Tyrannum,
Ceu ſcopulo ſolidum marino,
Durum reliquit, nil monitis ſacris,
Nil Môſe motum. calluit in petram,
Et obſtinatâ mente rupem
Prodigijs retinens ſtupendis
Rebelle ſecum detulit in mare.
Spumante SAULUS lapſus equo Lupus

Effectus Agnus, consecutus
Numinis artificem favorem est.
At nundinator Sacrilegus suo
Errore JUDAS perstitit impij
Tenax lucelli, nec scelestam
Rescidit indocilis crumenam.
Sic est. paratâ provida singulis
Negotiatrix gratia stans ope
Venatur omnes ad salutem,
Atque hominum licitata mentes
Implere Cœlos cogitat incolis.
At liberali munere nequiter
Peccator usus, tam potentem
Negligit immeritus favorem,
Sempérque præsens floribus optimis
Nocente palpo turpis araneus
Sugit venenum; nec cadentem
Petra capit pluviam, nec imbrem
Sinu repando percipit, ac faces
Mittente Phœbo, lucida spicula,
Æstúsque sacros obseratis
Arcet iners animi fenestris.
Quæ perpetravit mira potens DEUS,
Suis amicis usus ad ardua?
Ingressus in pectus TERESÆ
Cum jaculo, pharetráque plena
Candente metâ ludere providus
Scopum perito vulnere contigit,
Exaggerato mentis æstu
Largus amor volucri sagittâ

Præda-

Prædatus imi eſt viſcera corporis.
Venam pudico Sanguine turgidam,
Et innubo plenam rubore
Vis NERIO generoſa rupit,
Suóque coſtam tranſtulit è loco
Amando feſſam. vis eadem rogi
Vix non STANISLAUM redegit
In cineres, febriente corde;
Reſedit ardor flumine frigido,
Flagránſque Phœnix imbre refectus eſt.
Quantum SENENSIS gratiarum
SPONSA tulit, gremiíque largi?
Viſens ad illam SPLENDOR IMAGINIS
CHRISTUS PATERNAE, SOL SAPIENTIAE
Illapſus in terram benignam,
(Quam docili CATHARINA fundo
Tanto parârat fertilis hoſpiti)
Ibi metallum ſtemmate nobili,
Pluréſque virtutum Smaragdos
Expolijt, teneráſque gemmas.
Adhuc paratis ſtat DEUS ignibus.
At, ſi rebelli quis ſtiterit morâ
SOLEM faventem, mox reflexis
Stat radijs, retrahítque lucem.

ODE XXII.

Opera quæcunque mortalia deficere, ideóque continua & iterata reformatione opus habere ostenditur.

SEnile tempus, canáque depili
Tandem glabrescunt sæcula vertice,
Tristísque longævâ pruinâ
Albet hiems, niveæque curæ
Sparsæ capillis inficiunt caput.
Torpescit ætas, & tumulum pede
Lævo salutat, dexteróque
Prensat humum, fragilíque Mundo
Adhuc labanti poplite nititur.
Nihil beatum est. vita fatisceret
Humana maturis ruinis,
Ni medicâ regeretur arte
Parcè superstes pectoribus calor,
Nisi è supremo despiciens tholo
Potens Magister sustineret,
In nihilum remigraret orbis.
Sic constitutum est fomite criminis.
Non prata vivis picta tapetibus
Semper virescunt, nec tenorem
Annus habet refluens eundem.
Tandem veternum tempora contrahunt,
Et ipsa Cœli sphæra volubilis
Lassata subsistet, quieto
Axe vacans, sterilíque cursu,

Ni mo-

Ni motor urgens Angelus impetus
Reddat priores, & rapidos fugâ
Instauret annos, prodigóque
Ire rotas jubeat volatu.
Putrescit alto flumine stans ratis,
Et pigra merces respuit Indicas,
Ni querna mercator vetustæ
Tergora sufficiat carinæ.
Squaleret altâ fertilis arbore
Apex Olympi, stagnáque frigore
Semper rigerent, pertinaci
Vincta gelu remaneret unda,
Somnóque litus staret inutili,
Nî temperatâ lampade Sol redux
Aquas resolvens otiosas
Disjiceret fluvij catenas.
Domus vetustis debilis imbribus
Cadet, recentes nî solidâ trabe
Addas columnas, lapsuíque
Substituas opus ære fusum.
Laxæque rimæ vulnera corrigas.
Silente ferrum carcere conditum,
Ensísque vaginâ quietus
Continuâ scabie exedetur
Rubiginoso degener otio,
Ni cote primum restituas stylum;
Leprámque tergas bellicosæ
Materiæ, poliásque falcem.
Quin curva furto Cynthia menstruo,
Cùm trunca miscet cornua nubibus,

Ignes ademptos, atque macros
Accelerat reparare vultus.
Amat vetuſtis languida menſibus
Natura vitæ reſtitui novæ,
Sic ultimam Phænix ſenectam
Incolumi renovat camino.
Vides, ut arctas ingrediens vias
Poſt ſe volatum jactet inutilem
Regina prædatrix volúcrum,
Et vetulis medeatur alis,
Roſtrúmque duris exacuat petris?
Tunc æſtuantis fulgura Sideris
Conſtante rurſus præparata
Ore bibit, ſpeculúmque luſtrat.
Si firma tantum corpora langueant,
Et ære fuſus deficiat ſtatus,
Quàm mentis inconſtans remiſſæ
Partus erit? fragiliſne virtus
Magno virebit tempore florida?
Quid eſt caducâ mente fugacius?
Homóne durabit probatis
Moribus, egregiiſque factis
Radice forti nixus in arduis?
Vincétne carnis tela domeſticæ?
Num blandientes ipſe amicos
Deſeret, illicium cadendi?
Occaſiones num fugiet vafras,
Et delicatis retia fraudibus,
Subtile peccandi venenum,
Et reliquum ſtygis apparatum?

Exper-

Experta res est. quot Juvenes, Cygnos
Ætate primâ, in classibus infimis
Novi ipse, mutatos repente
In volucres styge nigriores,
Sentire postquam magnificè in scholis
Cœpere se se liberioribus:
Tum sepe fractâ disciplinæ
In barathrum scelerum ruêre
Famæ & peculî prodiga nomina,
Noti per Urbem flagitijs Proci.
Quot innocentes perstitere
Sollicito gremio parentum
Adhuc retenti, qui, simul ac sinu
Nidi paterni, ceu cochlea è domo,
Sunt evoluti, se pudendâ
Indomiti Venere inquinârunt?
Virilis ætas crimine plurimis
Canos ad ipsos constitit integra,
Qui defatigatâ senectâ
Indecorem coluere vitam.
Heu! quàm ruinâ præcipiti leves
Stant actiones? dissimilis sibi
Humana mens est, turpiúsque
Instabili variat Dianâ,
Velútque corpus febribus obsitum
Repente friget, mox iterum calet,
(Alternus humorum tumultus
Quando subit, refluúsque gurges
Secum tremores, & glaciem vehit)
Jactantur artus; mox profugo gelu

Succedit æstas, Siriúsque
    Improbus immodici caloris;
Sic concitato sæpius impetu
Succensa sacris mens flagrat ignibus:
  Proponimus durante flammâ,
    Nescio, quæ generosa facta,
Dum mens sacratis bullit amoribus:
At quot tenaces propositi viros,
  Cùm tempus exposcit, videmus?
    Quorsum abijt decumanus ardor?
Ah! non perennes, sed salij meri
Ignes fuêre, evanida fulgura,
  Meri vapores, sordidísque
    Flamma volatica nata campis,
Lampásque pigris orta paludibus,
Non verus ardor, nec stabilis focus.
  Non adfuit verus caminus
    Perpetuâ vigilatus Ætnâ.

ODE XXIII.

AD FULVIUM GREGORAM

Vt pro præsidio Castitatis ab illecebris abstineat, & sensuum custodiam sibi commendatam habeat.

Innubam quisquis teneri pudoris
Diligit carnem, niveámque mentem,

Is sibi

Is ſibi reddat facili obſequentes
Fœdere ſenſus.
Abſtine viſu, nitidóque vultu:
Vulnerat blandi Baſiliſcus oris,
Picta mendaci juvenilis oſtro
Forma trucidat;
Hîc labant rupes, ſolidæque turres
Sæpe procumbunt: genium virilem
Ære concretum domuit loquaci
Femina vultu.
Credulus ne ſis nimiùm colori.
Perbrevi vernat nive, quicquid albet.
Interit murex, teneróque fluxa
Lilia gypſo.
Inſtruit nodos laqueóſque plectit
Forma ſyrenum, placidique nictus
Morte ſcintillant, mulier nocendi ex-
-perta ſupellex;
Illa præſertim, tremulis ocellis
Quæ micat furtim, radiiſque ludit,
Quæ genas pingit violenter, emptas
A calamiſtris.
Æthiops multis color inſideret,
Ni venenatis cutis atra cretis
Uncta conſtanter, totiéſque lota
Flumine lactis
Cederet tandem medicata fraudi
Nequiter candens. propè ſeptimanâ
Indiget pellax mulier, polita ut
Denique ſurgat.

Abſti-

Abſtine plectris, hilaríque cantu,
Feminam ſpirant. nec enim virili
Truſus è ſexu puer ore raſo
Garrit amænùm:
Maſculam mollit cythariſta mentem.
Orpheus chordis animos viriles
Macerat, colles trahit, & ſequaces
Pectine Cedros.
Impera cæcæ manui, catenis
Necte captivam. ruit illa præceps
Libero palpo, niſi vinciatur
Prædo pudoris.
Abſtine unguentis (muliebrè fragrant)
Et croco, & latè redolente myrto;
Abſtine molli bibula illinire
Tempora nardo:
Roſcidos guttis olidis capillos,
Et laboratis adipata myrrhis
Membra ne cura, nec odora læti
Balſama ſucci.
Abſtine blandum, GREGORA, palatum,
Et gulam fræna, nocet empta longis
Suavitas morbis, valetudo largis
Perdita vitris:
Nil leves fumi, volucrum ſagina,
Vaſa Campano ſaturata muſto,
Nil botri ſanguis facit ad ſalutem.
Temne magiros:
Sufficit parcâ ſterilis culinâ
Menſa, jejunâ tenuata lance;

Cru-

Cruda acetosâ ſapiet famenti
Braſſica fœce.
Vive contentus meliore ſorte
Integer vitæ, ſcelerísque purus
Mente conſtanter viridante. paucis
Omnia dicam:
Siſte feſtinas in odora nares.
Aure furtivâ, modicóque nictu,
Et manu cautâ, tenuíque parcus
Utere guſtu.

ODE XXIV.

SEVERINI BÖETII CONSTANTIA.

HIc ille celsâ mente BÖETIUS
Mundis ducentis altior evolans,
Æternitatis fœnerator
Providus, intrepidúſque morti
Prodire magnis paſſibus obviam.
Non ille montes prætulit aureos,
Promiſſa regis, blandientis
Ora Ducis, facilémque frontem;
Non ille vultu motus amabili,
Cautéque vulpi credulus Aulicæ
Hamum potentem nil moratus
Perſtitit impavidus ruinæ
Inter frementum carnificum minas,
Inter ſecures fallere neſcius,

Ma-

Maléńſque canos purpurare
Sanguine, quàm Patriam ſceleſto,
Unáque cives prodere Principi.
Adſunt amici, mollia ſuggerunt:
Regi monenti, temporíque
Se daret, artificíque fraude
Sibi teneret pectoris intima:
Non ſenſa mentis, verba peti modò.
Advênit & conjux diſertis
Corda movens aries querelis,
Matrona blando garrula flumine,
Fuſis recenter nubila lacrymis;
Oſtendit illi filiorum
Degenerem minimè juventam,
Orátque caſti per thalami fidem,
Per gratioſos indole liberos,
Servare ſe proli Parentem
Continuet, teneríſque pullis
Non ante tempus pabula ſubtrahat,
Ornare ceras pergat, & intimo
Favore Regis nundinetur
Divitias, ſeriémque ſtirpis
Longo propaget ſanguinis ordine.
Contra ſtat Heros inviolabilis
Sermone blando, filiorum
Nil facie, lacrymíſque tactus:
Deliberatâ torvus imagine,
Gravíque vultu ſerius, Apage!
Ait monenti, nil moleſto
Efficies maleſuada cantu:

Abſiſte

Absiste Syren, desine conjugem
Vocare conjux prodiga: sum Tuus,
Sed usque ad aras, filiorum
Me memini, Patriæque patrem.
Dein Amicos fortiter intuens
Exasperatâ nube supercilî,
Plus fronte, quàm verbis locutus,
Ite, ait, atque animas pusillas
Firmare longâ pergite næniâ,
Viros in alta pace relinquite.
Insanio nec dum, Propinqui,
Sat scio, quæ mihi sint agenda:
Tam cautus inter prospera MANLIUS
Huc usque vixi, quàm didici pati
Adversa constans, provocatâ
Stabo dein in utraque Sorte
Victor, furentis nil metuens Ducis,
Nihil miserti Cæsaris indigus.
Hæc elocutus fulguranti
Colla dedit ferienda cultro

ODE XXV.

S. IGNATIUS LOYOLA COELUM CREBRO ASPECTANS IN DEUM RAPITUR.

Aurororæ tenerum diem,
Et tinctum roseo sanguine tramitem,
Vultum spectat amabilem,

Astro-

[illegible] fugam,
[illegible] Deam,
[illegible]
[illegible],
[illegible] crapulam,
[illegible] plagas,
[illegible] naufragas
[illegible].
[illegible] fretis,
[illegible],
[illegible] Polum,
[illegible],
[illegible] pedissequas,
[illegible],
[illegible] jubar,
[illegible].
[illegible],
[illegible],
[illegible] volucres,
[illegible],
[illegible],
[illegible],
[illegible] fuga [illegible]
[illegible].
[illegible],
[illegible]:
[illegible]
[illegible].
[illegible] nive,
[illegible]

Ma-

Mavortis gladium. difficilem ſenem
Prolis carnificem ſuæ,
Et pompâ reliquâ lucida Numina
Stellatúmque palatium:
Miratur Procerum plena cubicula,
Divorum laquearia,
Suſpirat lacrymis ſponte fluentibus,
Celſósque ingeminat Lares;
Contemnit fragili ſtercore fictilem
Terram, degenerem locum,
Exclamat: valeat nidus hirundinum,
Felix, qui maculis procul!

ODE XXVI.

PLAUSUS D. FRANCISCO XAVERIO OB VICTAM TOTA INDIA IDOLOLATRIAM ADORNATUS.

JAm frequentatum ſatis eſt profanis
Ritibus ſceptrum. Luſitana poſtquam
Appulit claſſis, migrat exulatum
Turba Deorum.
Floret inducto reparata Chriſto
Præpotens Indi regio Monarchæ,
Quæque ſilveſcens ſterili profudit
Meſſe noverca
Improbas ſpinas, ſubitò venuſtos
Martyrum flores parit, atque fruges.

Stat

Aſtrorum ſubitam flexilium fugam,
Stillantem lacrymis Deam,
Natali reduces Solis eburnei
Miratur radios mari,
Et multo ſaturam lumine crapulam,
Latè conſpicuas plagas,
Collectas celeri limite naufragas
Incerto Oceano faces.
Cùm Sol Heſperiis fit propior fretis,
Spectat decrepitum diem,
Et multis vigilem lampadibus Polum,
Nocturnum ſtupet Heſperum,
Stellas, quæ præeunt, atque pediſſequas,
Argento nitidum lacum,
Cœleſtes oculos, & varium jubar,
Luſco ſidera lumine,
Et plenas radio divite palpebras,
Miratur rutilum globum,
Nocturnóque rotas axe volubiles;
Lunæ præcipites equos,
Aurigæ nimiùm deſidis otia,
Et ductam ſtadio moram,
Luctantémque traham, flagra ſonantia
Stellato vaga verbere,
Errantes celeri fulgure lampades,
Scintillans pelagus ſtupet;
Miratur bivio lacte natantia
Cœli dulcia compita,
Pulchrum ſidereâ Mercurium nive,
Aſtro ſanguineo trucem

Ma-

Mavortis gladium. difficilem senem
Prolis carnificem suæ,
Et pompâ reliquâ lucida Numina
Stellatúmque palatium:
Miratur Procerum plena cubicula,
Divorum laquearia,
Suspirat lacrymis sponte fluentibus,
Celsósque ingeminat Lares;
Contemnit fragili stercore fictilem
Terram, degenerem locum,
Exclamat: valeat nidus hirundinum,
Felix, qui maculis procul!

ODE XXVI.

PLAUSUS D. FRANCISCO XAVERIO OB VICTAM TOTA INDIA IDOLOLATRIAM ADORNATUS.

JAm frequentatum satis est profanis
Ritibus sceptrum. Lusitana postquam
Appulit classis, migrat exulatum
Turba Deorum.
Floret inducto reparata Christo
Præpotens Indi regio Monarchæ,
Quæque silvescens sterili profudit
Messe noverca
Improbas spinas, subitò venustos
Martyrum flores parit, atque fruges.

Stat

Stat ſeges fœtis cumulata ſpicis,
Ebria botris.
Macte! lugubres facie ſerena
Lingue mærores, profugóſque ride
Patriæ truncos animoſe largo
Inde cachinno.
Macte! Sudorem Patris inquietum,
Tranſitos rivos, glacié que multâ
Vitreos amnes memora, tyrannos
Æquore ventos:
Naufragum fractâ toties carinâ
Prædica Divum; niſi diſſolutis
Imperans Euris monuiſſet undas,
Sæpe periſſet.
Mira FRANCISCI recita per orbem,
Et datas morti, febribúſque leges,
Virginem carnem ſine labe viva in
Calce virentem,
Integros artus, violata nullo
Spiculo mortis, vitióve tabis
Membra, vernanti taciturna ſomno,
Nobile corpus.
Adjuvent ſacras Elementa laudes,
Inſtruant pompam toties potenti
Antè FRANCISCI cicurata voce,
Nutibus æqua.
Túque cæleſtis populator ignis,
Qui tuas vires, calidúmque lumen
Sæpe FRANCISCO famulo jubebas
Cedere jure:
Túque

Túque terreſtri mare ponderoſum
Ambitu clauſum, locuplete cingens
Poculo terras, reſidénſque fixâ
Litoris orâ:
Túque præruptis onerata ſaxis
Obſequens Tellus, gremio repando
Audiens nutus, docili ſepulcro
Reddere functos
Prompta, FRANCISCO repetente prædam:
Túque ſubtilis nemorum ſuſurro
Garriens aër, volucréſque pleno
Fornice ſtringens
Plaude Patrono. media è procella
Præferat partæ fidei trophæum
Signifer cancer, gemináque chelâ
Libret in auras
Miles undoſus labarum ſalutis.
Ipſe FRANCISCUS niveis caballis
Vectus, immenſis geminum triumphis
Impleat Orbem.
Gentium Numen geminâ catenâ
Prodeat vinctum, domitíque Reges
Ambiant currum; comitetur atro
Turbine peſtis
Pulſa FRANCISCI precibus Malacâ,
Pallidæ febres medico favore
Exules factæ meliore ſtipent
Ordine pompam.
Convolent, urbes, dominante quales
Marte FRANCISCUS ſibi ſubjugavit,
Arte

Arte confidens, ſcopulóque freta
Perfida TOLUS.
Integræ cerno ſimulacra cladis
Hoſtis Aceni, lacerámque claſſem,
Ære conductos Zephyros, & Euros
Ire triumpho.
Æneo clangunt reſoni metallo
Ebrijs buccis, tumidóque fratres
Ore turgentes Boreas, & Auſter,
Cætera pubes
Tota Captivis, humilíque fœce
Conſtat, inſigni tamen apparatu
Culta ramorum viridante luxu
Fercula portat.

ODE XXVII.

AD ILLUSTREM D. ANSBERTUM SANSEDONIUM.

De Miſerijs vitæ Aulicæ.

O Aula cultis plena favoribus!
O Aula diris plena tumultibus,
Quot perdidiſti Candidatos
Spe cupidâ, fragilíque nixos!
Ne nictus iſthîc rectus & integer,
Caſtúſve nutus, vel facies datur
Sincera, ſed mendax renidet
In labijs, oculíſque vulpes.

Sub

Sub fronte ſuda, ſub placidis genis
Hæret ſuſurro, verbáque melliça
Tegunt venenum, blandiente
Vipera ſæva natat loquelâ,
Et Mars amictu pacifico latet
Occultus, aptis temporibus ſtudens,
Dum te laceſſat, ſubruátque,
Et veteres tumulet favores:
Ne crede vanis utilitatibus,
Non ſunt profectæ pectore ſerio:
Sed erudito farta bombo,
Et ſtibio medicata verba.
Comœda tota eſt Aulica natio,
Sempérque nutans, diſſimilis ſibi:
Jam læta geſtit, ſpiſſiore
Jam facie nebuloſa languet,
Languere Solem cùm videt Aulicum,
Lunámque triſtem. gratia lubrica eſt,
Favórque ſubſtructus furore
Ancipiti, ſtomachóque Regis.
Fortuna fallax continuò fluit,
Et ſæpe durat vix medio die.
Diu benignos nemo Reges
Poſſidet, aut faciles Monarchas.
Fruſtra profanis mercibus indigi,
Et gloriarum ridiculi proci
Prenſatis Aulas, Principúmque
Obſequium, famulóſque pacti
In ſervitutem difficilem dies.
Virtute nemo tutus ibi ſuâ eſt.

Repen-

Repente tempeſtas ſiniſtra
Exoritur variante ſorte.
Qui celſiori conſidet in throno,
Præceps in imum flatu agitur levi,
Regnante livoris ſceleſto
Aucupio, dubióque ludo
Periclitatur, qui fuit intimus,
Regíque charus nuper ad oſcula,
Qui torque gemmatâ ſuperbus
Nuper ijt, trabeáque longâ,
Et undulata pulcer Epomide,
Cohorte cinctus, ſervitio frequens,
Habens poteſtatem, repente
Invidia jacet abdicatus.
Ne fide ſpumæ, ne fragili ſagax
ANSBERTE, vitro. credere deſine,
In tam novercali beatam
Particulam reſidere vita.
En! Te ſupremus Rex hominum vocans
Exſpectat horis omnibus Aulicum.
Ut ſervias Orbis Monarchæ,
Ære tuos licitatur annos
DEUS peculî prodigus aurei:
Cupit fidelem te famulum ſibi,
Cœlúmque totum pollicetur
Pro modica tibi ſervitute.

ODE XXVIII.

ODE XXVIII.

AD DONATUM LILIBÆUM AMICUM SUUM MULTA HINC INDE PASSUM.

Adhortatur hominem ad Patientiam.

QUalis remotis nubibus imminens
Nido relicto fulminis armiger
Sensim volúcres experitur
Ad radios, oculósque Phœbi
Hallucinatos lumine filios,
Prolémque novit, si bene viderit,
Sic mentium scrutator ille
Omnipotens, penetránsque renes
Suos amicos, quos gremio gerit,
Vectos in altum fortiter excitat,
SOLEMque Divinum tueri,
Et docili bibere ore Cœlum,
Totúmque lucis diluvium jubet,
Calcare terram, vilia temnere
Ostenta Mundi, futilésque
Illecebras pereuntis orbis.
Mens impedito corpore libera
Sursum volatu remige se ferens
Absorpta cœlesti theatro
Sideream speculatur aulam:
Quamvis iniqui judicis ad thronum,
Aut ære inunctum duplice Præsidem

Damnatus adſtes, concoquendum
Magno animo tibi crede bolum:
Quamvis Tyrannus tempore bellico,
DONATE, ferro ſæviat in bona:
Injuriæ quamvis olympi,
Et lapides regione celsâ
Creti comatas in ſegetes pluant,
Amníſve inundans litora ceſſilis
Erodat agri, vel tumente
Flumine depopuletur ædes,
Ferenda ſunt hæc: lenis Aprilis eſt,
Hydrope nubes ebria depluo
Ubi per auras præliata
Sat tonuit, revehit ſerenum
Cœlo favorem. diſpereant bona
Subjecta morti, vana crepundia!
Majora reſtant. munerator
Æthereâ eſt opulentus aulâ.
Hæc eſt amoris teſſera, ſi DEO
Contentus uno cætera rideas.
Hæreditatem pinguiorem
Nemo dabit, referétque nemo.
Beatus ille eſt ſolus & unicus,
Cui ſordet Aurum vilius aſpici,
Gemmæque nolentes latere,
Et reliquæ novitate gazæ.

ODE XXIX.

ODE XXIX.

De miseria malæ Conscientiæ.

HEu miser rerum status, & malorum
Fertilis ludus, cui lancinata
Mens domi est, crebris animúsque prurit
Saucius hamis.
Hospitem quisquis fovet inquilinum
Conscium vermem, faciéque rubrâ
Nutrit inviso monitore crimen,
Et malè facta
Sustinet crebrò sibi refricari,
Is sinu portat Decium, aut Neronem,
Sentit infesto sibi vellicari
Pectora milvo.
Non dapes illi sapiunt, nec aurum
Limpidi vini, saliénsve læto
Poculo sanguis generosus uvæ,
Nobile mustum.
Quale pulvinar timido est? echino
Dormit æterno. taciturna pluma
Transit in setas, & equina spissæ
Stamina caudæ:
Somniat flammas Styge præparatâ,
Volvit Inferni thalamos & ollas,
Igne sudantes avido lebetes,
Cogitat orcum:
Pendulum fulmen, tremulæque virgæ
Imminens flagrum timet, & severus

Carnifex mentis jugulo propinquum
Præcipit ictum:
Nullus est lusus sat ei facetus;
Si pilam grandem quatiat tumente
Folle prægnantem, queruli doloris
Tormina sentit:
Aleis nullum, licet auspicatâ
Sorte projectis, reperit levamen,
Nec, licet nigri saliant ocelli,
Plurima puncta
Ossei ludi, locuplete censu,
Intùs est lætus, quia vulneratâ
Mente perplexus gerit insolentem
Pectore vermem.
Ambulans prato tacitum latronem
Corde circumfert comitem, patrati
Exprobratorem sceleris, silente
Cæde ferocem.
Exedit fibras pudor, insolentis
Mentio facti cruciat peracti
Conscias nævi latebras, medullam
Perforat omnem.
Prodigè est felix homo, pænitendo
Qui nihil dignum facit. est beatus,
Pœnitens quisquis malè facta mente
Vindice plectit.

ODE XXX.

ODE XXX.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM MAXIMILIANUM AMADÆUM &c. SERENISSIMI FERDINANDI BAVARIAE ELECTORIS PRIMOGENITUM.

Nativitas ejus & ortus Gemmæ ſimilis prædicatur.

COnchyle prægnans, quod gremio parit
Gemmante guttam, divitibus jacet
Illuſtre ripis, aureíſque
Gangis amans, nitidíque limi
Flavis arenis accubat, & ſitu
Se ſe modeſto continet in lacu,
Matrice claudens elegantem
Luce recèns vigilante gemmam.
Narrare cunas Sardonychis juvat,
Ortúmque primum. Scilicet aurei
Aurora ſudatrix diei
Sanguineo rubicunda luxu
Cùm manè pulchris invehitur roſis,
Conchyle binas mox aperit fores,
Nectárque Cœli liberali
Axe cadens repetit parato
Matricis intra viſcera poculo,
Imbrémque avaro carcere detinet

Nutricium lambens olympum,
Et teneræ pluvias diei:
Tum concolores artifici morâ
Scillas adultis Solibus excoquit,
Et improbo torrens calore
Accelerat lapidis juventam,
Donec nitenti ſe rudis induat
Ætate pallor, donec idoneam
Concreſcat in maſſam Smaragdus,
Et placidis vireat favillis:
Ardente donec conſpicuus die
Longâ Pyropus ſe poliat face,
Et igneo nictans colore
In tenebras dominetur atras.
Sic Gemma quævis naſcitur, & Polo
Tota educatur. Sic etiam TUI
NATALIS ORTÛS æmulatur
Fauſta dies, AMADÆE, Gem̃am:
Nam TE benignis perpluit imbribus
Illuſtre Cœlum, fudit & integras
In TE procellas gratiarum,
Et ſaturas ſine fine dotes.
Stans axe celſo lumine TE ſuo
Sol delicatus lactat, & inclytæ
Lætantur in partu ſecundo
Pegmatis ætherei lucernæ.
Cœli rapinam cernere tum magis
In TE licebat, propitium jubar;
Inebriato diſtinebas
Pectore Sidereos favores.

Hære-

Hærere vultu conſpicuo juvat,
Multóque fœtum Numine parvulum,
Magnúmque mirari Parentem
In facie nitidi Puelli
Largè micantem. Quæ Tibi gratia,
Tenelle PRINCEPS, quis Tibi ſtat decor?
Ab eleganti prodijſti
Matre Puer, pretioſa Gemma:
Stant innocenti Lilia frigore,
Formoſa vultûs germina lactei:
Stat nupta candenti pruina
Purpura. Sidereis feneſtris
Binis ocellis proſpiciunt Avi
Pleni Gradivo, grandia nomina,
Vultúque torvus militari
Rex Solymæ GODEFRIDUS Oræ
BULLONIUS Heros ſpirat aheneum
Virum, timori cedere neſcium:
Severitas cum ſuavitate
Juncta gravi, ſocio relucent
Aſtro ſorores purpureis genis,
Ludúntque labris. tantus ineſt nitor
Infuſus ori, tantus ardor
Mollibus inſinuatus annis
Scintillat imis nobilis oſſibus,
Altæque candor proditor indolis
Exſpirat in vultûs theatrum
Virgineo niveus colore.
Vix natus orbi es delicium Patris,
Minerva cunis adſtitit obſtetrix;

Arrisit hæc magno Clienti,
Et virides cicuravit annos
Magiſtra vitæ, finxit & ipſamet
Ver gratioſum, primula tempora,
Nervíque plenas, & decôris
Exeruit ſtudioſa vires,
Rexítque corpus, mulſit & oſculis,
Dotéſque natas Imperio dedit
Fuco ſolutos, & ſereno
Pectora candidiora Cœlo;
Dextram rotando finxit idoneam
Sceptro: Coronæ diſpoſuit caput
Olim ferendæ, providíſque
Conſilijs cerebrum paravit.
Ut Gemma, poſtquam lumine nobili
Polita tota eſt, lucet, & utilis
Virtute pollet ſingulari,
Ac medico famulatur uſu,
Et mox Coronis inſeritur Ducum,
Aut glorioſis ardet in anulis
Pyropus ignitos vigore
Sidereo jaculatus ignes;
Sic dignitati, quæ nitet, & micat
Fulgore læto, conſpicuo throno
Miſcere virtutem regendi
MAGNE ſcies PUER eminentem:
Quando (imbecillis dextera quæ modò eſt)
Matura Sceptro creſcet, & aureo
Tornatilem POMO ferendo
Erudies, AMADÆE, lævam.

Thro-

Throno potitus, Sedéque Principe,
Dux Subditorum vota lucrabere,
Magnete plenus liberali
Corda hominum rapies amore:
Uti trisulco fulmine nescius
Suo benignus tempore noveris,
Decere Reges lenitatem
Imperio bene constituto.
Regnare nescit, qui magis impetu,
Quàm suavitate, & consilio jubet.
Tardéque paremus coacti,
Nec dominos patimur severos:
Natura námque id mentibus indidit
Exasperari supplicijs magè,
Quàm debiti præstare partes
Officij rigido Tribuno.
At blanda frons est, MAGNE Tibi PUER,
In vultu amoris Signa legunt Tui.
Juventa præludit virili
Pacifici SALOMONIS ævo:
Adhuc Puellus compede detines
Tenace mentes, vincula fabricas
Placente vultu. prorogabis
Mirificam genij Columbam.
At si nocentes forsitan igneo
Hostes lacessant pectore PRINCIPEM,
Spirare tum plenus rigore
Ipse scies BOICUM LEONEM
Ferocientem Sanguine barbaro.
Victore terras Marte tuebere,

Pergéſque nomen BAVARORUM
Grandibus amplificare factis.

ODE XXXI.

Brevitas Humanæ vitæ oſtenditur deſcriptione Floris Indici Ephemeri.

MAnè ſupremo, lacrymante rore,
Nuper inviſens animoſus hortos,
Intuens Florem, varias terebam
Pectore curas.
Sole vix nato, tenuíque luce,
Transfugas Phœbo ſubigente Stellas,
Floſculus ſurgit, populoſa nodo
Germina claudit;
Mox ubi Titan magis invaleſcit
Primulis horis, folijs ſolutus
Carcerem pandit, teneróque fucum
Exerit ore;
Intremit leni, Zephyro loquente,
Fluctuans filo, gracilíque ſtirpe,
Stans ſui compos calicem repandâ
Fronte propinat.
Advenæ longâ regionis orâ
Huc apes junctim veniunt, & udis
Bombilant alis, repetunt coquendo
Pabula melli.

At co-

At colorato ſubitò vigore
(Sole robuſtam jaculante Lucem)
Æſtuans marcet, nimióque febrit
Languidus igne.
Hic typus vitæ eſt: diuturna non eſt.
Naſcimur tardè, morimur repente,
Perbrevi floret minio juventus,
Interit ætas.
Sanitas mendax, inopina mors eſt,
Sæpe longævos licitatur annos
Forma mortalis, ſubitò flagrante
Febre necatur.
Qui valens noctu ſubijt grabatum,
Manè non ſurgit, nece mortualem
Copulat ſomnum, feretróque lectum,
Funere vitam.
Quid ſuperbimus fragili creati
Sordidi glebâ, velut ære fuſi?
Oſſei nemo refugit ſagacem
Militis arcum.
Sæculum quare ſibi pollicetur
Vermium ſaccus? diuturna non eſt
Hora fungorum, moriente Sole
Commoriuntur.
Ænea eſt forſan caro, quæ ſalivâ
In globum ductâ citiùs ſoluta
Diſſilit nullo remanente fruſto, aut
Fragmine bullæ?
Cuncta marceſcunt (nec enim ſolutus
Quiſpiam lege eſt) homines, feræque

Subjacent morti. rata ſunt vetuſto
Funera pacto.
Labitur Cedrus ſenio, minaci
Quæ tholo frondet Libani, feroces
Paſſa Vulturnos. moritur perempto
Stipite Quercus:
Marmoris duri ſcopuloſa moles
Par ſenectuti patiente ſaxo
Denuo vergit, cariéque ſeſe
Præbet edendam.
Deſinit, quicquid ſpatioſus orbis
Ambitu claudit. vacat à tributo
Nullus hoſtili, neque Neſtor ipſe
Morte ſuperſtes.
Fabula eſt annis ſaturata Phænix.
Viribus non hæc Avis imminutis
Ligna comportat, nec olente viva
Cynnama thure,
Non rogo ſe ſe cremat, aut fugaces
Corrigens annos famulante pennâ,
Stridulis alis, velut uſa folle,
Suſcitat ignem.
Non odoratis renovata cunis
Ales exuſto juveneſcit ævo,
Fabula eſt, tantum jocularis ignis
Poſſe favillam.
Foſſa communis tumulabit omnem
Denuo carnem patulo ſepulcro,
Totus huc vaſtâ ſcrobe glutiendus
Confluet orbis.

ODE XXXII.

ODE XXXII.

Effusa DEI erga mortales liberalitas commendatur. Hominum prodigalitas & Luxus omnium vitiorum occasio damnatur.

OMnibus curas alimenta, Numen,
Horreo ingenti volucres canoras
Liberi campi, varióſque ſilvæ
Paſcis alumnos:
Copias Môsis profugas Canopo
Depluo Cœli ſaturas caniſtro,
Melleo duris ſaliente petris
Æquore potas:
Limpidâ purum ſcatebrâ fluentum,
Innubis plorat ſpecioſus undis
Fons aquæ vivæ, terebrante ſiccum
Môse cacumen.
Nauſeat rivos, medicúmque potum
Degener Mundus, malè delicatus
Allium fœtens, & olente prurit
Cortice cepas.
Non ſapit Cœlum, Superúmque menſa.
Appetit fœces, adamátque vappam
Deſidis ſtagni, luteáſque ſugit
Rana paludes,
Et coaxatas querulis alumnis
Amnium ſordes, viridéſque pigri
Puſtu-

Puſtulas rivi ſitit imperiti
Culpa palati.
Corporis pronus ſtudet obſoletis
Commodis Mundus, ſitus in maligno.
Negligit mentem, cupidáque quærit
Carne ſaginam:
Venter, ut Numen colitur, ſacellum
Proximè ſtructum Veneri eſt, pudendas
Impius myſtes EPICURUS aras
Helluo prenſat:
Præſidet Sacris Popa poculorum,
Ventre monſtroſo bibulus natator,
Carneâ moles violenta turri
Largè adipatum
Vectat abdomen, gremióque pingui
Pegma ventoſum locuplete fulcit
Helluo fundâ. comedone nil eſt
Vaſtius illo.
Hanc ſibi metam ſtatuit Cupido:
Improbus cæcum juvat error orbem,
Ut gulæ fauces, oculóſque paſcat,
Omnis in hoc eſt.
Gaudet infamis meretrix videri
Picta ceruſsâ, ſtibióque tincta
Plena conſpecto ſpeculo, recenti ex
Pixide prodit:
Quot feneſtratam licitatur aurem
Pendulis gemmis? gravis eſt Elenchis,
Atque Erythræo maculoſa ſplendet
Littore Thais.

Publi-

Publico vadens patrimoniorum
Integros census proca veste portat,
Gemmeis vibrans oculis, salaci
Annuit ore:
Ignei collo rutilant Coralli,
Pompa baccarum variante luce,
Manat ad talos spatiata longi
Syrmatis unda:
Tota Pavoni similis flagrante
Fimbriâ lucet vigilantis auri,
Jactat errantes humero inquieto
Lena capillos:
Tota venalis rutilante formâ
Conjugem forsan, thalamúmque quærit;
Hinc die toto vaga se videndam
Urbe propinat.
Luxus hic rodit patriam, ferace
Divites arcas vacuat crumenâ.
Sufficit pompæ nihil, & parata
Prodigit æra:
Hinc lucrum constat scelere, & dolosa
Fraude quæsitum legitur metallum,
Laneo irrepunt taciturna passim
Crimina gressu.
Ludit urbano simulator ore
Artifex vultûs, faciémque lambit
Subdolo linctu, reticénsque mentem à
Tergore mactat,
Byssinâ spondet meliora linguâ,
Fronte inauratâ placidè renidens,

Obse-

Obſequens verbis ſimulat paratum
Semper amicum;
Turget in voces nive puriores,
Crimen obliquans: quod amet, ſonante
Ore jurabit, neque pejerâſſe
Protea credes.
Interim volvit truculenta corde
Exteri mendax hominis figurâ,
Et domi fartas licitatur auro
Callidus arcas.
Mentium carbo ſimulans pruinam,
Lacte perplutus dolus, os bilingue,
Et palatino lare nidulata
Perfida vulpes
Splendidi ſemper ſtudioſa luxûs
Peſte communi locupletis olim
Patriæ vaſtat loculos, egenos
Sugit Achivos.

ODE XXXIII.

AD AUGUSTISSIMUM LEOPOLDUM AUSTRIACUM FERDINANDI III. IMPERATORIS FILIUM.

Cùm in Regem Hungariæ electus; poſtmodum Cæſar magnas victorias conſecutus eſſet.

QUot jam Monarchas AUSTRIACA ſatos
E Stirpe vidit Teutonicus Thronus?
Quàm

Quàm Stemma fœcundum Coronis
Hungaricis fuit, & Bohemis?
Nec auferentur Sceptra, vel aureæ
Isthinc Tiaræ, sed Diademata
Ad usque seram differentur
Canitiem morientis orbis.
Germana Tellus perdita prœlijs
Nuper Suècis, liberioribus
Nunc crescit alis in beatum
Auspicium melioris ævi,
Ubi LUPOLDUM conspicit eminus
Throno micantem, quem placidâ morâ
Virtus laborans in futuram
Teutonici Imperij columnam
Jam destinavit provida CÆSAREM,
Et sustinendi culminis Herculem,
Sceptrúmque Romanum paravit,
Artificem moderata limam.
Is ore totum nempe Patrem refert,
Qui pectus amplum, párque periculis
Impressit illi, Principémque
Corde animam dedit, & vigorem,
Suum professus delicium. Throno
Brevi supremo crescet idoneus,
Fulcire vel promptus labantes
Consilio patriæ ruinas,
Vel Marte Turcas vincere barbaros.
Tum litigantum jurgia Principum
Sermonibus mulcens quietis
Sanguineas prohibebit iras,

Exul-

Exulceratas molliter obligans
Favore mentes. commoda finiet
Privata Regum, diſſidentem
Fœderibus ſociabit Orbem.
Nec falſa vos Spes, credite Teutones,
Jactata votis ludet inanibus,
Virtutem avorum quiſquis hæres
Accipit, haud facit his minora.
Vix nata frugem ſemina divitem
Jam dant, quid ætas poſterior feret?
Natura cùm dat grande rebus
Ingenium, citò grande prodit.
Virtus Parentum per ſobolem fluit:
Pullus Leonis, qualis in arduis
Olim futurus ſit palæſtris,
A teneris meditatur annis:
Puſillus armis ASTYANAX Patrem
Inter ſodales luſerat HECTOREM.
Romæ pavendus nónne Pœnus
ASDRUBALEM Puer induebat?
O! Marte qualem Teutoniæ Plagæ
Olim videbunt, cùm Patriâ truces
Avertet hoſtes, aut verendo
Conſilio rapiet Senatum:
Miſcere quando milite noverit
Mites olivas; cùm popularibus
Major procellis, ſubjugatis
Exiliet medius coronis.
Nec Muſa fallit. talia dum cano,
Throno ſupremo jam colo CÆSAREM;
Adoro

Adoro Romanam coronam
Vertice conſpicuo ſedentem.

ODE XXXIV.

Querela de varijs vitæ Humanæ caſibus, Sæculi noſtri miſeria & oppreſſione inopum expromitur.

CIngimur uno omnes Cœlo, rectóq; micante
Stellantis aulæ claudimur.
Idémque Phœbus ſingulis
Prodit purpureo mari.
Obtigit una eadẽ genitrix, fœcundáq; mater,
Prægnante terrâ naſcimur,
Frugéſque ab illa ſugimus,
Unus ſpiritus omnibus.
At variat fortuna hominum, caſúſq; ſtupendi
Diſcorde rerum turbine,
Diverſi in orbe prodeunt,
Et mortalibus accidunt.
Exultat vitijs dives, laſcivit in auro.
Mulctantur ære pauperes,
Exaſperautur ſubditi.
Centones gladio patent.
Dives purpureâ tutus ſub veſte ſuperbit,
Sit prædo quamvis maximus,
Furcáque egenus nectitur
Infami trabe pendulus,

Quam-

Quamvis vix oboli, aut nūmi furunculus atri
Sit ipse. lex hos præterit;
Hos sæva vix non enecat,
Vivósque excoriat Themis.
Scilicet in visco, quêis est statura pusilla,
Duntaxat hærent alites,
Fringilla, turdus, passeres,
At grandes procul avolant;
Expediunt se se piceo munimine milvi,
Nec impediti vultures
Pennis vagati liberis
Discurrunt alacri fugâ,
Regni emunctores, natíque ad grandia fures
Magnis rapinis dediti
Impunè vivunt crimine,
At pauper gladio luit.
Hic mod⁹ & norma est, hodierni fabula Mūdi,
Hic ludus est hirudinum.
At sera tandem Curia
Diverso veniet stylo:
Sæcula diversâ venient libranda staterâ;
Tunc causa vincet pauperum:
Curvi scabello divites
Prensabunt inopum pedes,
Judicio exibunt, condemnatíque fatiscent,
Ibunt in ignem Exercitus,
Et integra ibunt agmina.
Cœlum Rusticus ambiet:
Præibunt dominos servi, dominæq; sequentur
Ancillulas pedissequæ.

Ple-

Plebem sequentur consules
Longi participes rogi.
Nō patitur florere diu vaga crimina Numen,
Vindex adest in tempore,
Scelesta perdit semina,
Extirpat sobolem malam.
Deprênsum in nido pullū cum matre, patréq;
Deplumat ultor sontium,
Suffocat ovum, & incubam,
In lacte interimit scelus.
Quāvis cunctetur Deus, & sua fulmina tardās
Suspendat ictus improbis,
Differtur, haud remittitur,
Sed flagrum subitò venit.
Et quæ tarda gradu pœna est, ac nixa bacillo
Incedit, est gravissima,
Plectítque sontes fortiùs,
Nec finem Nemesi facit.

ODE XXXV.

AD CRISPINUM GELOSAM AMICUM SUUM.

Ne se perituris, sed permanentibus bonis, quæ sursum sunt, dedat.

GELOSA, terris quid juvat abditis
Ferro metallum quærere pallidum,

Pla-

Plagáque deformi tenacem
Findere humum, gremiúmque multâ
Turbare ſtivâ? quid juvat advenas
Maris receſſus nave laceſſere,
Undíſque ſævis innatare,
Et pelago trahere uniones?
Quid claſſe totâ pergere trans Sinas,
Ultra Molucas, & duplicem Javam
Amore quæſtûs, gemmearum
Ut referas lucra nundinarum?
Vocante prædâ, ſpéque pecuniæ
Hollandus olim navibus inſtitor
Inhoſpito vectus liquore
Per pelagi glacialis undas,
Per mille ſyrtes & marium probra
Labore inani, ridiculâ trabe
Domum reverſus, vix peremptæ
Pelliceum, coriúmque vulpis
Secum reportans appulit ad ſuos,
Ursíque jactans vellera candidi
Hydrôpe confectus marino
Ad patrias remeavit oras
Frigente ZEMBLÂ. Quò ſacra nos fames
Auri profani, quò ſitis incitat?
Quàm ſomniamus, nos habere
Sæpe manus pretio gravatas,
Et ære plenas? comprimimus citò,
Ne quid doloſi fœnoris evolet:
At excitati repperîmus
Diſſimilem ſine dote pugnum,
Vanám-

Vanámque ſortem, ſomnia Morphei
Ridemus altùm. vix capimus doli
Exempla, larvatíque lucri
Exuvias vacuâ ſiniſtrâ,
Sic Euclionum natio luditur,
Ceu fraudulentæ noctis imagine:
Cur non perennes, dum facultas
Ampla datur, cumulat crumenas
Fœtas monetâ, fœnore turgidas,
Quas latro nullus, quas neque fur ſagax,
Faventibus Milvo tenébris;
Ungue clepit piceus rapaci:
Quas turbulentis concita civibus
Vis nulla gliſcens, vel rabies ferox
Bacchata diſcordi tumultu
Sanguineo populatur enſe:
Quas nec voraci blatta proboſcide,
Nec mus farinæ nobilis helluo
Arrodit, aut ullus tyrannus
Supplicijs repetit cruentis.
Mens, quæ patrono freta ſcatet DEO,
Contemnit aurum divitis alvei,
Ærarium Gangis, vel Indi,
Et croceam Oceani medullam.
Quid Euclioni conſita proderit
Tellus metallis? quid Braſilæ nitens
Vectigal undæ? deſerenda
Hæc bona ſunt avidè parata.
Tantúmne rupes plena cupidinum,
Stygi propinquus carcer, & abditæ

Æris

Æris latébræ nos movere
Propoſito valeant tenaci,
Ut abdicatâ Cœlicolûm domo,
Mergamus atro pectora Tartaro,
Et emedullatis cavernis
In tumulos abeamus Orci?
Natura cœco difficilis ſitu
Abſtruſit auri livida ſemina,
Damnavit argentum fodinis,
Et pedibus ſtatuit terendum,
Et nos in altum protrahimus diem
Cauſam malorum, nec ſinimus piam
Vacare matrem, parricidæ
Sciſſo utero fodimus parentem.
Intramus orbem forſitan aurei,
Statímque cincti veſte metallina
Prodimus in lucem? patente
Corpora ſtant manifeſta pelle,
Nudíſque membris inde migrabimus
Citante Letho, quid tumulo tuo,
GELOSA, debes, ut profano
Introeas oneratus auro?

ODE XXXVI.

ODE XXXVI.

Cognitio DEI exactissima ex rebus creatis prædicatur.

DIvina quisquis opera, & artificem manum,
Terram, Polúmque conspicit,
Statim Magistrum capiet, & rerum fabrum
Ex arte docta colliget:
Nam, quicquid alta fumat in Cœli plaga
Titanis ex incendio,
Exsudat ingens quicquid & Nereûs opum,
Et terra quicquid germinum,
Id omne passim clamat: in nobis latet
En! ille pulcher artifex,
A cujus igne candet Astrorum dies,
Rerúmque luxus omnium:
Nos implet ille totus, hôc pleni sumus,
Omnes scatemus Numine:
Nos ipse fecit, terete formavit rotâ
Nobis rotunda corpora,
Mortalis age! theatra Mundi Scenici
Attentiùs considera:
Statim choragum senties ex ordine,
Scitóque nexu partium.
Constante volucres axe volvuntur Poli,
Semper rotantur Sidera:
Præest diei Phœbus, & nocti Soror
Mendica fraternæ facis;

Non cursus errat mobili præceps pede,
Nec lassus est tot sæculis,
Statuta res est. nemo declinat vias,
Quas jussit ire Conditor.
Æstate reduce viride lascivit nemus,
Crinitur arbor frondibus:
Non hæc aberrant germina, observant sui
Nutum monentis Numinis:
Viden modesta flumina, ut tacito lacu
Fixo residant termino.
Nec se statuto carcere evolvant freta
Contenta terrestri scypho.
Hæc lege fiunt. dominus ita servos jubet.
Crebrò Magistrum cogita:
Si pulchritudo tanta, in humano sedet
Formosa vultu gratia,
Quanta erit Opifici? quantus Auctori decor?
Non hîc datur proportio:
Prorsus, necesse est, pulchra qui Mundo facit
Ostenta, sit pulcherrimus:
Qui pingit hominis ora florenti typo,
Hortósque castos purpurat,
Et qui metalla splendidis gignit vadis,
Prægnantibúsque collibus,
Qui fingit onyches mille specioso vitro,
Ipse est Magister GEMMEUS.

ODE XXXVII.

ODE XXXVII.

AD AMPLISSIMUM VIRUM PHILIBERTUM SAROLLAM DE TERRIBILI COMETA ANNO M. DC. LXIV. APPARENTE.

Securissimos illos mortales esse ab ejusmodi Stellarum Prognosticis eventibus, qui DEO ferventer serviunt.

INauspicato conspicuæ Polo
Fulsêre nuper terribiles faces,
Eventuum præposterorum
Nuncia præcinuere signa
Provinciarum cladibus, aut Ducum
Jam destinatis Sidera mortibus,
Cœlíque suspecti Cometæ
Funereo micuere crine.
Ut pallet Astrum fulgure lividum?
Ut cauda longo syrmate tenditur?
Ingens flagellum prædicatur
Difficili residere Cœlo
Brevi rotandum. jam coquitur malum
In mente summi Vindicis, imminet
Cervicibus Mundi nocentis
Pœna gravis, monitrice Stellâ.
Vides, rubentis luminis orbita,
Et tortuoso cauda volumine,

Feralis appendix Cometæ
Ut vigilet, celeréſque regnis
Clamet ruinas? ut moneat Duces
Deliberati conſcia fax mali?
Adeſte Reges, & comatum
Cæruleo titubare campo
Spectate vatem, torváque lumina.
Exaggerato compoſitam globo
Stupete Stellam, corporíſque
Aërei nebuloſa membra:
Spectate virgam, quæ jugulum petet
Regni potentis. jam trepidat mare;
Horret capillatum latronem
Terra ſuis metuens Monarchis.
Jam Mars cruenti prodigus ingenJ
Multùm nocenti contiguus faci
Movet phalanges, peſtilentes
Jam nebulas Libitina cogens
Mortes iniquo convehit æthere:
Lucere pergit terrificum jubar,
Caudáque pallentis venenum
Corporibus vehemens propinat,
Et regna lactat terribili lue:
Jam ſerpit hæres morbus in obvios.
Monemur omnes, concitatum
Reddere propitium Tonantem.
Securus ille eſt, qui ſceleris ſibi
Nullius hæret conſcius, & DEO
Servire conſtans, in ruinis
Exiliens pereuntis Orbis

Nil

Nil curiosæ sollicitus facis
Ultra Cometas pectora porrigit,
Ridétque splendorem scelestum,
Et tragici mala plura signi.
SAROLLA, gaude, quòd super altior
Extes Olympo, vertice transvolans
Diras lucernas, prodromíque
Insoliti querulas favillas:
Nihil nocebunt, si fueris mori
Semper paratus, delicijs fatur,
Quas terra fallax nundinatrix
Mentibus insidiata promit.

ODE XXXVIII.

AD AMPLISSIMUM VIRUM SISINIUM SARACOSAM MAXIMUM JUSTITIAE AMATOREM AC PATRIAE PATREM.

Ipsius Æquitas prædicatur.

REvise tandem, quas profugo diu
ASTRAEA terras destituens pede
Olim reliquisti, malignis
Acta dolis procul exulatum,
Revise terras: Te spurium nefas,
Et probra nostri grandia Stemmatis,

Mores iniqui te fugârunt,
Et ſceletum truculenta monſtra:
Furor citato fervidus impetu,
Mundóque regnans ambitio nocens,
Adulteratum vî tribunal,
Blanditijs violatus aureîs,
Emptúſque judex munere perfido.
Deſcende Cœlo, mitior aſpici
Mærore ſqualentes reſume
E tumulo rediviva vultus.
Functis Tyrannis, qui laniaverant
Fas omne ferro, juráque gentium,
Sincera ſucceſſere tandem
Pectora, quæ Nemeſin ſevero
Clavo tuentur. barbara non viros
Vis ulla terret. cedere neſcij,
Auróque inacceſſi micanti
Incolumem retinent ſtateram.
Non verberati ſtragibus, aut minis,
Emi patronis ſe precibus ſinent,
Ut inquinatâ quid ſiniſtri
Conſtituant, peragántque lance:
Non faſcinati fraudibus & dolis
Scelus patrabunt marmorei ſitu;
Si fractus illabatur Orbis
Impavidi ſalient ruinis:
Lenocinato nomine Sanguinis
Durare pergent impenetrabiles;
Affinitatem nil morati
Filiolos, propriáſque Natas
Tra-

Tradent parato carnifici reas
Arcti futuri funeris arbitri,
Nihil favores, & micantis
Ira nihil gladij valebunt
Mollire legem, propositam viam
Lati nec unguis tramite deserent,
Statuta jurati tenere
Patria sub medijs sarissis,
Tortísque multo fulgure Lanceis.
Hæc æmulatus corda SISINIUS,
Grandésque mentes, Sacrosanctam
Lege suâ fovet Æquitatem:
Nil ipse amicis, nil generi favet,
Non tendit unctas divitijs manus:
Æquè Potentes corriguntur,
Ac tenues, modicique fures,
Pro dente dentem, próque manu manum
Amans decôri postulat, improbis
Tormenta sancit, jam relaxat,
Si scelerum sua monstra fassi
Se se nocentes ordine nuncient.
Infractus ipse est scommate publico,
Curátque nil plebis dicacis
Ludibrium, cholerámque vulgi.
Si fortè livor riserit impius;
Transit cachinnum, dissimulat canum
Vanos latratus. stat serenus
Fronte gravi, Themidísque lances
Nullo gravatas pondere ventilat,
Muróque victor perstat aheneo,

Nihil remittit de rigore,
Nec ſolitum moderatur æſtum.
Hinc furca paſſim plurima penſili
Surgens in altum ſqualida prandio eſt,
Rotæque ſtant prædâ refertæ,
Corporibus, putribúſque membris:
Semeſa proſtant tabe cadavera,
Uncáſque terrent Accipitrum manus;
Lautámque corvorum ſaginam
Latro timet, cupidúſque raptor.
Effûgit harpax Autolicûm genus,
Totóque Regni limite vultures.
Secura ſtat poſthac bonorum
Arca domi, ſegetéſque rure.
Omnes triumphum Juſtitiæ canunt,
Plaudúntque clarâ voce SISINNIO,
Obtenta Magno gratulati
Sceptra Viro, domináſque claves.

ODE XXXIX.

AD HOMINEM.

De CHRISTO à Pilato cum Spinea corona & arundine ad populum adducto.

DIſcerpta multo corpore vulnera,
Arata crudis tergora fibulis,

Per-

Perpluta divino cruore
Membra vide, lacerámque carnem,
Trajecta longis tempora vepribus,
Pexos capillos sentibus asperis,
Vibice liventes lacertos,
Pinguibus ora adipata sputis,
Quocunque spectas, nil HOMINIS vides,
Totóque nullum in corpore corpus est,
Plagis frequentatis cavatum
Vix hominis retinet figuram:
Aperta stillant ostia sanguine,
Ceu terra, quando manè tenerrimi
Baccata roris castitate,
Mobilibus tremit uda gemmis.
En! qui creavit nutibus omnia,
Qui vestit omnes pellibus, aut pilis,
Qui pingit agros liberali
Germine, gramineo tapete,
Stat decolori corpore sordidus,
Vili lacernâ nudus, & undique
Guttante tabo purpuratus,
Sanguineo trabeatus amne.
En! qui supremis arduus ædibus
Jus dicit Astris, imperat Angelis,
Fit sanna lictorum cohorti,
Fabula, ludibriúmque plebi,
Sceptrum prehendit ridiculum manu,
Et imbecillem torquet arundinem,
Spinis coronatus recurvis
Stat cerebro malè perforato.

Quæ Scena? quæ tam mæſta cataſtrophe!
Quis cædis auctor, dúxque tragœdiæ?
Quouſque durabit cruento
Barbara carnificina bello?
Peccator audax conſtituit flagra,
Augétque ſævo vulnera vulnere,
Plagáſque plagis, & macelli
Amplificat veteres dolores.

ODE XXXX.

Famam Humanam maximè literatis & Militaribus Exercitijs conquiri.

MAtura celſæ pectora Gloriæ,
Magníſque factis, repere neſciunt,
Sed vile dedignata vulgus
Ingenio repetunt anhelo
Faſtigiato Sidera culmine,
Et ipſa tendunt Solis ad oſcula:
Famam Sophorum perſecuti
Aucupio generoſiore
Plenum medullâ circúmagunt caput
In Literata Pallade Principes,
Scholíſque præſunt fulguranti
Nomine, Juſtitiæque Regum,
Ut adminiſtrent Numine curias
Annis togatis, cùm Taratantara,

Tubæ-

Tubæque raucâ destitutæ
Voce silent, viduúsque clangor
Armata jam non prælia concitat.
At cùm Sagato tempore Mars calet,
Non omne prorsus gloriarum
Emporium est, stadiúmque clausum.
Non otiosum vivere Sanguinem
Nôrunt METELLI. non tenui casâ
Heroicam exsudare vitam
Miles amat meliore dextrâ,
Sed per rubentes sanguine gurgites,
Et præliantum jurgia fluctuum
Grassatus ad famam, cruentas
Submovet è medio phalangas,
Quíque innocentum ludere mortibus
Solent, Tyrannos ex acie fugat,
Mundi fatiscentis ruinam
Ferre suo docilis Gradivo;
Tumultuatos æquore turbines
Spectare durus, pervolat Insulas,
Oráſque inaccessas carinis
Ense aperit domitore Victor:
Sititor ingens scilicet hostium
Præîsse novit magnanimos Duces,
Qui protulerunt civitates,
Et gladio dominante Sceptra;
Laudata novit divite gloriâ,
Per ora vulgi currere Nomina,
Quotquot decussatos per enses
Se penetrant, madidásque sicas.

 ODE XXXXI.

ODE XXXXI.

DEO maturè esse serviendum, nec vitæ emendationem in vitæ senium, & articulum differendam.

Dum vernat ætas purpurâ, & roseis genis,
Corpúsque succo turgidum est,
Cœlo studendum, & opera præstanda est Deo:
Virtutis illud tempus est;
Dum pectus implet igneæ mentis vigor,
Et cor medullâ subsilit,
DEUS in tributum floridos annos petens,
Novam monetam diligit.
Ast, Tu nec adipem, Ver nec annorum voles,
Quod postularis, reddere,
Ætatis ipse destinas fœces Deo,
Macrûmque quicquid possides,
Hyemem senectæ, verticem implutum nive,
Annos pruinis obsitos,
Et Capricornum temporis Superis litas,
Seri Decembris victimam:
Ipse tibi lautus, splendidas lances amas,
Et ossa cœlo dedicas;
Tibi generosi floris asservas merum,
Fundúmque vasis Numini.
Corrigere vitam velle te, dicis, Senem,
Et pœnitere Nestorem.

Quàm

Quàm vereor, iſta proſit ut tibi ſchola
Tam lubricæ ſententiæ.
Metanæa nulla craſtina eſt, quæ ſeria eſt.
Senémne pœnitebit?
Solenne CRAS CRAS corvus hodiernus canit,
Cras dicet is: PERENDIE.
Scilicet in illo mortis & vitæ angulo
Actum retexes Sæculum:
Cùm jam ſenilis capitis excubiæ trement,
Obtuſa frontis lumina;
Cùm mortuali naſus undabit lacu,
Jotáque ſubſcriptum feret,
Edentulæque rara cum ſepes gulæ
Jacebit exhauſtâ molâ,
Omnéſque ſenſus debili profugi casâ
Clauſo gement commercio,
Auréſque nuper melleis paſtæ ſonis
Surdo tacebunt organo,
Tunc pœnitentis inſtar, & funem gerens
Collo nocente triplicem
Urbem pererrans, triſte carmen muſſitans
Vitam peractam corriges,
Tum lapide pectus increpans toties ream
Voles habere mortuam.
Apella credat Neſtori pinguem dolum:
Vetuſta fraus eſt dæmonis.
Antiquus infans recolet antiquum ſtatum
Longâ catenâ criminum?
Cùm fracta cerebri trochlea nil veri ampliùs
Ex corde fomenti attrahet,
Quan-

Quando memoriæ tota ciſterna effluens
Antiqua perdet tempora,
Nec jam fideli dicta retinebit typo,
Rerúmque tot farragines,
Tunc Neſtor ille celebris oblongam ſchedam
Myſtæ petenti præleget,
Flagitia pueri, facta ſcelerati Viri,
Seníſque probra diluet,
Tunc plura quondam furta juvenilis manûs,
Milvúmque primum digeret;
Cùm lingua baculo nixa jam fando ſatur
Verbo ſecundo claudicat,
Quaterniones ille recitabit novem,
Auctariúmque criminum.
Quis iſta credat fraudium volumina?
Ne prima vera eſt linea.

ODE XXXXII.

Malos filios plerunque afflictionis Parentum & acceleratæ mortis cauſam eſſe, exemplo præſertim Filji Prodigi viventes.

IMprobæ vitæ ſoboles Parentes
Infodit vivos, clepit ante tempus
Optimos annos, malè feriatâ
Indole mactat.

Prodi-

Prodigum ſiſto Veneris ſubulcum:
Ille non Cœli memor, aut Averni
Ad volutabrum properat ſupino
Corpore porcus:
Stigma non curat generis, rapinam
Nobilis famæ, monitore nullo
Sanguinem perget maculare clari
Cento parentis:
Æs, quod intenſo ſatagens labori
Prodigus ſudor peperit Parentum,
Nocte cum lena juvenile probrum
Decoquet unâ,
Lucra diſcinctus malè perdet hæres:
Ille Therſites, decoris paterni
Degener ſanguis patriâ medullâ
Inſtruet aulam
Ex meretricum ſtabulo; theatra
Dividet ſcortis opulenta numis;
Indiæ totum dominante luxu
Ebibet aurum:
Is popinarum veteranus hoſpes
Sordidas inter pateras Gnathonum
Farciet ventrem; ſtipe ſumptuoſus
Vivet avitâ:
Pervigil ſi quod labor aggregavit
Sedulæ matris ſoboli metallum,
Inter hæredis digitos apertâ
Diffluet arcâ:
Sanguinis probrum, generíſque fungus
Multus in luſtris erit, & tabernis
Angu-

Angulos inter ſcelere inquinatos
Protea ludet.
Quiſquis ex Natis ita vivit, ille
Verticem canis onerat parentum,
Et caput Patri facit inquietis
Ningere curis;
Ille majores tumulat, peremptor
Ille cerarum patrijs ocellis
Auferet ſomnum, jugulabit ipſam
Denique matrem.

ODE XXXXIII.

Lubricum eſſe Honorum ſtatum, tot Principum ac Magnatum tragicis caſibus comprobatum; præſtare mediocrem aut humilem fortunam excelsâ, oſtenditur.

LArvata quiſquis diligis oſcula
Fallacis aulæ, vulnera cogita:
Suſpecta ſunt Sortis labella
Sidonio medicata fuco:
Memento mimam, quæ varians dolis
Ludum rebellem ludere contumax,
Quos fovit, everſis tiaris
Proterit, & ſolium repente
Procul remotis exonerat procis,
Regúmque caſus præcipites rotans
Nover-

Noverca conſcitos cachinnat,
Quos miſeris peperit, dolores.
Sic ille Moſci DEMETRIUS throni
Truncum cadaver præda avibus jacet,
Cui terra non fecit ſepulcrum,
Nec tumulum Patriæ ruina,
Cùm non humatum proſtituit Ducem:
Sic Gallicanus cæde BIRONIUS,
Pluréſque rivales coronæ
Vertice perfidiam luerunt,
Nec eluerunt ſanguine dedecus.
Quos vidit alto culmine Phoſphorus
A Rege graſſari ſecundos,
Proxima nox fabricavit Iros:
Sic perfidorum (vertice jam minor)
Fax Hungarorum, Dúxque Rebellium
Illectus aurâ blandiore
Carnificis maculavit enſem
Adhuc cruento purpureum dolo.
Quàm nulla in orbe eſt longa ſuperbia?
Quàm ſons coronarum libido
Supplicijs perit occupatis?
Voca vel unum, cuî proprium caput
Non ſit coronâ charius aureâ:
Cur ergo diſcrimen ſupremum
Tot ſubeunt, ſtudio imperandi?
Nihil beatum, quod ſolio micat,
Nihílque longo tempore ſplendidum eſt,
Succedit enſis ſæpe ſceptro;
Sæpe throno caſa ruſticana.

Geſta

Gesta coronas: in solio cuba:
Ipsis Hydaspes faucibus influat
Liquens metallum: num manebit
Blanda sitis, pretiosus hydrops?
Crescente crescet cura pecuniâ,
Honore crescet sordida servitus.
Repente pomparum triumphus
Corruet in sceleris sepulcrum.
Quotus superbit fungus honoribus
Recens ab ima fæce levans caput,
Dum stemmatis mendax repertor,
Aut viduis thalamis potitus
Suum colorat sanguine sanguinem,
Ceráśque pingit divite conjuge,
Pecuniâ lenocinante
(Nam cupidum regit illa Mundum)
Scandens in altum devorat æmulos
Sceptrum procatus. quàm meliùs facit,
Qui major auro se doloso
Subtrahit ingeniosus orbi?
Quem laude prægnans fama petacibus
Votis tumentem lactat, & advenam
Crebrò per aulas ventilatum
Spe dubiâ, meliore tandem
Loco reclinat, quàm malus est faber
Sortis placentis, nescius, an jocus
Non subsequatur perduellis,
Carnificis rude finiendus.
Quàm sunt ruinis omnia lubrica?
Ubique rerum scena rebellium.

Impu-

Impunè quis mentem nefandis
Delicijs famulam sacravit,
Diúque Sortis Sponsus eburneæ
Gaudens medullâ, nectare sæculi
Possedit Aularum favores
Emeritus Procerum racemus?
Cogor fateri. commodius Codro est,
Qui rusticano, sub Jove frigido,
Regnat mapali, júsque soli
Rex sibi, sed sine Rege, dicit:
Quàm copiosis aurea palpebris
Is astra spectat nil sibi conscius?
Quàm liberâ vitâ triumphat
Pollicitus sibi lene Numen?

ODE XXXXIV.

Supremi Sæculi nostri status reijcitur comparatione præcedentium meliorum.

O quàm pudendo Sæculum incedit gradu,
Quo nos supremo vescimur!
Fæx, spuma, sanies, pure si quid turpius,
Nobis scypho relicta sunt.
Captivus ille Dæmon effregit seras,
Nodúmque rupit Gordium.
Adeò soluta libero gliscunt foro
Passim per orbem crimina.

Elemen-

Elementa ſenio feſſa, furtis perdita
Fœcunditatem ſubtrahunt;
Vix ipſa Tellus oſſibus pendet ſuis
Olim ferax puerpera;
Cöäcta ferro mater improlis parit,
Intacta quondam vomere,
Incincta paſſim fraude terrarum pila
Communis olim, propria eſt.
Vix quidquam avaris ſufficit, quærunt dolo,
Quærunt & enſe judice.
Amore prima floruerunt tempora,
Poſtrema Vis efflagitat.
Commune primis ſæculis ærarium
Stabat repandum ſingulis,
Privata nulla prædia, aut ſepes agri
Certos colonos noverant:
MEUM, TUúMque tunc adhuc nullum fuit
Tot cauſa poſthac litium:
Nil ſilva tenuit proprium, nil oppida,
Nil ruſticæ ruri caſæ.
Non limes agro poſitus ambiguo lapis
Rixas diremit arbiter:
Natus parentum noverat tantùm lares,
Nec quidpiam ultra finium.
Tunc abſque legum prole florebat Themis
Amore pacta mutuo.
Nemo reclamans uſui, potiùs ſua
Proſtare gaudebat bona:
Nemo profeſſus judicem leges tulit,
Sed jura dictabat pudor,

Non

Non Legulejus, nemo Caufidicus fuit,
Sed imperabat Charitas,
Candórque morum, pectorum Prætor, fides
Confopiebant jurgia.
Lis nulla durans longiùs, quàm per diem
Cum Sole femper occidit,
Nemóque fas torquens in obliquum latus
Elifit illi fpiritum:
Pax una terris gemmeos fervans dies
Mavortis arcebat metum.
Quivis fedebat, fub fua ficu, aut nuce,
Nemóque novit militem.
DIVERSA quàm funt noftra diverfi ftyli
Exulcerata fæcula?
Quàm Marte plena, cusáque ex ferro rigent,
Inebriata Sanguine?
Auri cupido furda, bifrontes doli,
Et vulpe veftitus Leo,
Nutrix furoris ira, lymphatus furor,
Fucóque tincta pectora
Terras inundant, orbis infeftant globum,
Sincera nec pars unica eft.
Priora votis mille, centum fæcula
Pacifcimur fufpirijs;
Optamus aurum temporum. ferrum nocens
Dudum ftygi devovimus.
Fruftra precamur. aureos optas dies?
Sectare mores aureos.

ODE XXXXV.

ODE XXXXV.

Ad spectaculum D. FRANCISCI BORGIÆ Imperatricis ISABELLÆ cadaver speculantis omnes mollis vitæ sectatores evocantur.

Huc vos molliculi, lacryma quos croci
Stagnans ambrosijs perpluit imbribus,
Aut queîs cæsaries stillat Amaraco,
Ad spectacula tendite.
Queîs frons Sidonio diffluit unguine,
Quos nubes sapidis tingit odoribus,
Medi quotquot olent vulnera corticis,
Huc vos BORGIUS evocat.
Is plenâ putrido nare cadaveri
Præsens, non refugis sensibus halitum
Fætentem tolerat, sordibus interest
Prorex compositâ morâ:
Jam nasi saniem, & vermibus ebrium
Pulmentum cerebri strenuus inspicit,
Miratúsque HELENAM in conjuge Cæsaris,
Formam præcipitem stupet,
Mutatásque videns in chelydros comas,
Exesos oculos in geminos specus
Subsedisse notat, labra putri situ
Rimis hiscere conspicit:
Ergo

Ergo (Sanctus ait, funeris arbiter)
Carpit mors pariter barbara Cæſares,
Viles ſicut amat carpere ruſticos,
Ut buſto ſimili tegat?
Formoſas facies lædere non timet?
Aſpectus placitos, fulgura luminum,
Gemmantes oculos, ſidera frontium
Uno deleat impetu?
Si larvas vetulas, ſi vapidas anus,
Mucosóſque ſenes, monſtráque vultuum
Telo traijceret, ſat bona mors foret,
Et Calvus tolerabilis;
At, quòd Cæſareas involet in genas,
Formosáſque ſtylo figat imagines
Sorbendas macie, rus olet, aulicos
Nec mores didicit latro.
Sic eſt, ſub tumulo forma ſtat omnibus
Æquali ſpeculo: Mors ſimiles genas
Effoſſis oculis induit omnibus,
Et naſi laceri typum.
Cur ergo ſpeciem, tempore quæ brevi
Vernat purpureo carnea ceſpite,
Humano fragilem corpore, dum viret
Stultâ proſequimur ſiti?
Cur totâ facie mergimur in genis,
Conſpectáſque quater conſpicimus lupas?
Cur templis oculos inferimus procos,
Cenſores nitidi luti?
O te ſacrilegum! cur meretricijs
Inceſtas radijs ſacra Palatia,

Vena-

Venatúmque venis? non locus hîc ſtygi,
Ut rete eijciat ſuum.
Et quis vos olidas corpore Thaides
Denudare humeros ſpiritus impulit,
Collique exuvias prodere publico?
Albúſne Angelus, an niger?
Et quis vos juvenes (viva cadavera)
Juſſit femineo nubere balſamo?
Cur rorem Caſiæ, cur nebulam croci
Fœtenti allinitis capro?
Si fragrare placet, non pietas deeſt
CHRISTI dulcis odor. Moſcus & Amroha
Heroem jugulant. Semivirûm decor
Pulvis fertur, & unguina.

ODE XXXXVI.

AD DIDACUM MELISIPPUM AMICUM SUUM.

Cùm ob incautam loquelam gratiâ Principis excidiſſet.

HOmines in Aula ſeduli, linguâ, auribus
Nî careant, pereunt,
Cùm fabularum ſit domus.
Cenſoris oculi multa ibi negotia,
Viſa notant animo,
Ut ad Monarcham deferant.

Peri-

Periclitantur verba clam sæpe, ac palam.
Excubias metue,
Non sunt fideles anguli,
Echóq; in Aulis plurima est. quicquid latres,
Arbiter id repetet,
Et indicabit Regibus.
Actum est favore, verbulo si cespites:
Lubrica lingua tibi est,
Dormi, sile, abscondere,
Nec delicata Regij sceptri probra,
Aut diadema feri
Linguæ procacis spiculo.
Quamvis sub imo mussitâris fornice,
Aut putei latebris
Oppessulato gutture,
Licet absque teste fabulam narraveris,
Ridiculúmque jocum
Sub dentibus momorderis,
Erumpet alibi proditor cordis sonus
Ex lacera cavea,
Petétque rectà Principem.
Quin, fœderato verba quæ digito teris
Mutua cum socio,
Uníque in aurem porrigis,
Illa sciet hodie, Sole necdum condito
Aula, movens stomachum,
Torvóque te vultu petet.
Quæ somniavit mæstus inter stragula,
Súbque tapete tori
Incautus arcani dolor,

Princeps ſupremo manè cum Phœbo vigil
Reſciet ante diem,
Citabit è lecto reum.
Cave, MELISIPPE, ſubdolis tectis latet
Inſidioſa pecus,
Retro tapetes proditor.
Aurita metue ſaxa. ubique ſurda ſunt
Marmora marmoreè,
Præterquam in Aulis Principum:
Ibi tabulata plurimis rimis hiant,
Ut vaga verba bibant,
Quæ mox propinent Regibus.
Sed nemora pariter, aulicos hortos time;
Plurima ibi folia
Functura linguæ munere;
Nil ibi loquaris, audiunt flores, ſuum
Dum reſerant calicem:
Repanda campi Lilia
Incauta] ſervant verba, dum tempus dabit:
Ut referant domino,
Et, quæ locutus es, canant.
Si vis cavere nomini, & famæ bono,
Vox meditata ibi ſit,
Limáque ſecta plurimâ.
Eventa cæcis palpebris, quæ per viam
Obvia ſe dederint,
Ceu non videres, præteri:
Occlude fauces triplice propugnaculo,
Probra Ducum retice,
Et ſcire quæ ſcis, ſupprime.

ODE XXXXVII.

ODE XXXXVII.

Mala ſocietas Juventutis peſtis, ac ruina, Ejus Ortus, progreſſus, luxus, officia, fraudes deſcribuntur.

Quæ malis gaudet ſocijs Juventus,
Lubricâ ſiſtens glacie peribit.
Ni ſalutato reſipiſcat Orco,
Alea jacta eſt.

Peſtis hæc blandâ coaleſcit aurâ,
Ut coit viſcum, piceúmque gluten,
Quod trahit ſecum digitos tenaci
Smegmate vinctos.

Ceu ſolent ſe ſe volucres vocare
Mutuo cantu, ſociáque linguâ,
Convolant binæ, quatuórve ſenſim,
Denique ſeptem,

Sic ſolent illi; quia proniorem
Flectit in partes ſocius ſodalem:
Mutuus multos animus laceſſit,
Quidlibet audet.

Mente conſpirant Socij. repente
Peſſimus nemo eſt: properando lentè
Commodant ſeſe ſceleri, trahúntque in
Crimine callum.

Primus hortatur nebulo ſecundum:
Euge pubeſcens viridi juventâ

Floſcule, utendum eſt, ait, auſpicati
Tempore Veris:
Vive, dum fervet juvenilis æſtus,
Et voluptati famulantur anni:
Vive, dum fortis ſtomachus paratas
Fumat ad eſcas.
Sic canunt Orci volucres. ſequuntur
Tertius quartum, decimúſque nonum,
Et Ceres illis colitur, Venúſque
Duplice menſâ.
Proficit luxus populator æris,
Pérque fœcundi calicis procellas
Spumeo Cypris natat in Lyæo,
Ignis in igne.
Creſcit in majus ſcelerum vorago.
Ampliùs nil eſt adipis crumenâ
Nuper exhauſtâ, grege creditorum
Plena ſtat ædes.
Publicis nigræ tabulæ in popinis
Plurimâ cretâ, numeróque candent,
At quis expunget niveos crabrones
Ære parato?
Venditur primùm cumulus librorum,
Pilei, ſpiræ, manicæ, ſupellex
Lineæ veſtis, caligæ, rotundis
Pallia nodis:
Lucra rimantur nova ludibundi
IngenJ Milvi. ſpurio ſigillo
Literas fingunt, veluti Parentum
Nomine miſſas:
Anu-

Anulo vafro ſchedulas inurunt,
Ceu domo allatas. ſimulata cera
Fraudibus præſto eſt, adeunt propolas,
Æsque capeſſunt
Subdolo juſſum folio. peractam
Fabulam pubes ſibi gratulata
Pergit antiquos iterare ludos
Vulpe ſolutos.
Sic ſimul multi pereunt: perinde
Ut ſolent, una percunte nave,
Plurimi nautæ Siculi Pelori
Gurgite mergi.
Defleo caſum. ſuperéſtne tantæ,
Sera quæ non ſit, medicina peſti?
Ne ſimul cæcâ pereat charybdi
Tota juventus.
Una tot damnis reliqua eſt medela:
Conſules æquos patienter audi,
Suaſerint quicquid. juvenilis ævi
Ulcera tergent,
Otium tollent, ſceleris patronum,
Tempus, oſtendent, bene collocari
Quo modo poſſit, cerebrúmque multâ
Pallade tingi.
Diligens nullus perijt, ſed unus
Deſes Ægiſthus: cupiens laborum
Qui probam novit vigili lucernâ
Urere noctem,
Is procul diſtans vitio, pudici
Pectoris florem tenuit. tenebunt,

 Sedu-

Seduli quotquot docili Minervâ
Otia mittent.
Siſte fervorem petulantis ignis,
Nec voluptatum ſtabulo ſagina
Debitam Cœlis animam; caduco
Celſior orbe eſt,
Quicquid admiſſum eſt meretrice vitâ,
Jam Themis librat rigidâ ſtaterâ.
Pondus expenſum eſt: niſi convaleſcas,
Torris es Orci.
Heu! quibus tandem latebris nocentis
Occules vitæ Juvenem peractum,
Pallium nullum vitijs, aſylum
Nullibi ſpera.
Conde ſpeluncis Acherontis atri
Crimen: at fruſtra radijs ſupremæ
Lucis offundes tenebras. nec ipſo
Tectus in Orco es.

ODE XXXXVIII.

AD EADMUNDUM LIBORUM VITAE LUXU ET OTIO AD INCITAS REDACTUM.

QUid eſt, LIBORE, quod ſitu inſigni domus,
Fortique ſtructa marmore
Rimis fatiſcat hinc & hinc ringentibus,
Tigniſque nutet pendulis?
Quid

Quid est, quòd imber lacrymâ ingress' domũ
Exederit trabum fibras.
Tecti revulsus pileus totus propè
Invitat Euros, & Notos,
Jam non grabatus candido plumans Cygno,
Jam nullus anser est domi,
Qui prodat hostes, fortè si convenerint
Ad diruendum prædium.
Vix aliquid arce vivit, & ventum trahit,
Præter tenellos liberos;
Stabulísque nulli mugientes incolæ,
Caulísque balantum greges;
Inseminati ferias ducunt agri,
Campíque squalent pulvere.
Mordace prata carduo lympham bibunt
Præterfluentis rivuli,
Errore qui se limpido campis agit
Decliviore murmure.
Quis causa cladis? Suecicúsne Marspiter
Tam dira patravit mala?
Gladiúsne Turcæ jure contempto ferox
Invexit hanc pestem loco?
Sic est, Süeco pejor & Turcâ Latro
Vastavit Arcem nobilem:
Nam devorator luxus ingressus domum,
Totúsque prædonum globus
Emulsit uber divitis quondam laris
Pessundato peculio.
Hinc illa facies, & loci exsorpti color,
Hinc absque bello vulnera:

Ubi pigritantes dominus abſcondit manus,
Rimoſa perſtillat domus.
Et cui perennis hæret ad guttur calix,
Ut ſudet inde crapula,
Ille eſt familiæ carnifex, & conjugis
Tyrannus is domeſticus.
Talis LIBORUS quia fuit, diras brevi
Redactus eſt ad incitas.
Sed macte! necdum tota Sors perijt Tibi.
Jam dives es, dum pauper es.
Pila vanitatis turba mortalis ſumus,
Proſternimur, reſurgimus:
Nî te laboris pigeat, & panis nigri,
Scyphíque poſthac frigidi,
Luxúmque tecto ſi procul proſcripſeris,
Nec exulem receperis,
Repente Codrus factus, evades Midas;
Quæ perdidiſti, refluent.
Quam vinum ademit, bibita reſtituet aqua
Arcam lucello tinnulam.
Artibus ijſdem, dum bene, aut malè uteris,
Peribis, & redibis.

ODE XXXXIX.

ODE XXXXIX.

Omnes corruptæ naturæ motus, præcipuè verò Præcipitantiam & violentiam in humana societate fugiendam.

NOn tot procellis fervet Jonium,
Nec febre tanta mobilis æstibus
Defungitur Pontus, fluenta
Cùm revocat genitrix Diana
Æstûs marini causa potissima,
Quando, exulatum qui liquor iverat,
Loco priori restitutus
In veteres remigrat cavernas,
Humana quot mens educat impetus,
Primósque motus præcipitis fugæ.
Irascitur frigus calori,
Frigoribus calor efferatur.
Natura pigros phlegmate quos creat,
Plerumque segnes, atque reconditos,
Et rebus absorptos, profundos
Esse jubet, genióque tardos:
Sed insolentes indidit impetus,
Quotquot caloris fomite conflagrant;
Hinc inquieti sunt furore,
Sanguine queîs vitulatur ætas.
Quem flava bilis duplice copiâ
(Nigris capillis prodita) concitat,

Attendat ad motus furore
Præcipites, celerésque raptus,
Cuî nigra, toto pectore decolor,
Infusa stagnat, pessimus omnium est,
Morbo laborat pertinaci,
Pestiferi cocus est doloris,
Premítque flammam, ut fortiùs emicet,
Et certiori fulmine sæviat.
Latens Cerastes in caverna est
Ira tacens, nocitura pejùs,
Natura quando dissimilis coit
Cum displicenti, militat utraque.
Pellunt, repellunt, vi resistunt,
Ceu silices duo fulminantes.
Periclitamur, nî ratio juvet.
Emissa nescit, quid faciat, fera,
Turbata bilis: vindicatrix
In geminam properat ruinam.
Ne sceptra mentis Præcipitantiæ
Tenenda tradas, ne violentiæ
Permitte laxatas habenas,
Ni cupias lacerare Mundum.
Quicunque primis sanguinis obstitit
Ebullientis motibus, Is sui
Victor, refrænatæque flammæ,
Innumeros cicuravit hostes.
At quisquis imis in penetralibus
Recepit iram, succubuit jugo,
Ultórque castrorum futurus
Sanguineo tumulatus agro est:
Qui

Qui mentis ægræ turbine percitus,
Suæque jam non militiæ potens
Erupit in campum, probroſo
Marte redux, luit appetitum.
Exempla promo. Scimus, uti CLITUM
Merſus profundis Rex Macedûm ſcyphis
Occiderit præceps, acutâ
Cuſpide per ſcapulas adactâ,
At imperitas mox revocaverit
A cæde ſicas, & lacrymis fluens
Improvidam execratus iram
Horruerit gladij macellum:
An, qui SEVERI nomen adeptus eſt
DUCIS, Gradivo mitiùs uſus eſt
In conjugem quamvis fidelem
Rex Boicæ LODOICUS Aulæ?
Unâ citatus canuit impetus
Noctis ſenectâ; conſpicuæ nives,
Ultrixque delicti pruina
Præproperam monuere dextram.
Sic ira præceps, ſæva tonitruis,
Cùm cædem, & ignes depluit, illico
Poſt fulminum primos fragores
In lacrymas medicas liqueſcit,
Factúmque damnat, quod temerarius
Admiſit æſtus: ceu ſolet igneis
Onuſta tempeſtas ſagittis
In gelidum reſidere nimbum.
Quod ira patrat tempore Phoſphori,
Plerumque votis expiat Heſperus,

Factúmque & infectum furoris
Una dies volet esse crimen.
Non ille Princeps, qui gladij viâ
Suos gubernans, præcipiti metit
Mucrone commissam salutem:
Ipse suis cupiet timeri,
Sed non amari; quod patrimonium est
Boni Regentis. quò ruit impetus
Multo saginatus cruore,
Indomitis violentus armis?
Hæc una Laus est propria Regibus,
Ut blando amori pectora commodent
Tranquilla, dispenséntque sæclo
Mitem animam, placidámque Matrem
Semper benigno culmine præferant.
Hac arte plenas sæpe periculis
Cædes, laborantísque Mundi
Impediunt tragicas ruinas.
Beata leni Principe Patria,
Cùm jura sceptri Dux facilis tenet,
Qui nescit urgeri phrenesi,
Nec subitos fovet ense motus.

ODE L.

ODE L.

Humilia & stulta hujus Mundi à DEO eligi ad opera insignia, ut confundat sapientia & fortia.

AD magnos apices, atque negotia
Orbis quisquilias rerum Opifex legit,
Præstantémque manum ad sceptra potentia
Tornat pauperibus Codris:
DAVIDEM geminæ prodigium lyræ
E custode ovium sustulit ad Thronum,
Transculpsítque pedum: dedidicit suum
Paganus baculus statum,
JUDITHAM tenero corpore feminam,
Sed mente impavidam jussit Amazonem
Armatam gladio stringere dexteram,
Fatalem jugulo Ducis.
CHRISTUS naviculas paupere carbasó
Ad portenta vocat, déque palustribus
Stagnis, & lacuum gurgite navitas
Mundi constituens heros·
Romano è solio jus Regionibus
Dispensare jubet: dum sibi Principes
Subjectas Hederas, sertáque Cæsarum,
Et Regum diademata
PETRUS sub pedibus repere conspicit,
Romanámque mitram supplicibus coli
Sentit

Sentit poplitibus. Non ſibi Martios
Numen ſepoſuit viros,
Non è conſpicuo ſanguine MANLIOS,
Nec vaſto ſolidos corpore MUTIOS,
Quêis Mundi tumidos frangeret impetus,
Inflatámque ſuperbiam.
Cur ergo vetulas (nomen inutile)
Jactamus ſtatuas pulvere ſordidas,
Fumosóſque lares? num melior vetus
Sanguis forſitan eſt novo?
An naſci eſt melius, quàm fieri, Ducem?
Qui vili ad ſolium è ſanguine proſilit
Per mortem gradiens, factáque Martia,
Æquè Principe dignus eſt.
Cur mutos abavos, emeritos ſenes
Pridem jam putridos, oſſa meriſſima,
Et mucum tumuli ludio prædicas,
Tot convivia vermium?
Fallax Proſperitas ſimia temporum
Nil præter titulum jam reliquum facit.
Trojano ex aſino nil ſupereſt equi,
Præter mandibulam putrem.
Ne Mundi ſtolidæ fide proterviæ:
Tam ſpondere celer, quàm pigra reddere
Mercatrix toties fallit adultera
Juratam ſocijs fidem.
Quis poſthac pretium ponat honoribus,
Dum, quos luxurians Purpura circuit,
Vitæ degeneris commaculat pudor,
Morum dedecorant probra.
Non

Non ſic Nobilium tractat imagines,
Sed magnis minimos continuò DEUS,
Doctis inſipidos, innocuos reis,
Iros ditibus antefert.

ODE LI.

Columna Marmorea BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ PATRONÆ BAVARIÆ In foro Monacenſi, opus conſpicuum, artiſque prodigium, à SERENISSIMO PRINCIPE & ELECTORE MAXIMILIANO erectum.

DUx præpotentum gloria Principum
Sublime quoddam mente agitans opus,
Decrevit ingentem Columnam
Marmoreo pede collocare
MAGNÆ PARENTI, quà medium forum
Capace ſe ſe porrigit areâ,
Rotunda quà gyro platea
In patulum refluit theatrum.
Non ille parcit ſumptibus, aut petris,
Non Architectis, non operis eget;
Illuſtre marmor diſcolore
Vermiculo, biviáque venâ

Ex

Ex advenarum finibus advehi
Jubet MONÂCUM. VITRUVIOS citat,
Et MENTORAS quotquot peritæ
Italiæ venerantur Urbes.
Jam cœpta res est. fossa recessibus
Discedit altis. gleba voraginem
Pandit capacem. præparatas
Scrobs aperit spatiosa cunas
Moli futuræ. jámque cubiculis
Terræ refossis fundus idoneus
Apparet, invitátque primum
In vacuas lapidem cavernas:
Fons delitescens carcere terreo
(Castus propinqui filius ISARÆ)
Undæque secretæ relinquunt
Partheniæ spatium Columnæ,
Ne destinatæ sit mora fabricæ,
Palúsve saxis invida turgeat.
Abscedit intestinus humor,
Quem sibi per veteres meatus
Curvis reposcit flexibus Isara,
Et in paternum colligit alveum.
Sic, artis instinctu, negatum
VIRGO PARENS reperit theatrum.
Surgit Colossus marmore lubricus,
Crescítque grandi pondere machina,
In Astra tollit sumptuosum
Celsa supercilium Columna.
Mole absolutâ materiam pudet
Ab arte vinci. VIRGO metallina
Auro

Auro refulgens liberali
Combibito flagrat alta ſole,
Communicatâ ſplendida lampade
Vibrat reflexis ditior ignibus.
Hinc gratias mille, & favores
VIRGO PARENS opulenta vaſtæ
Diſpenſat Urbi, dum MONACENSIUM
PATRONA muros, & BOICAM DOMUM
Servat potentem, Sanguinémque
Protegit Hæreticis tremendum.
Visâ Columnâ VIRGINIS Æneâ,
Silet Coloſſi prodigium Rhodus,
Et ære fuſam gratulatur
Parthenio populo PATRONAM.
Negotioſo VIRGO loco favet
Affecta ſacris MATER honoribus:
Ipsíque adoratam Columnam
Supplicibus labijs ſalutant
Crebrò per anni tempora PRINCIPES,
Hærede veri Sanguine Filij
MAGNÆ PARENTIS. Muſicarum
Pompa ſonat MARIANA vocum.

ODE LII.

ODE LII.

LAUS

Ill.mi & Excell.mi COMITIS D. FRANCISCI FUGGERI URBIS INGOLSTADIENSIS PRÆFECTI.

Cùm gloriosè contra Turcam in acie occubuisset, ad S. Gothardum in Hungaria. Anno 1665.

FAma, quæ nunquam sinis interire
Nomen Heroum, sed in Astra tollis
Martias dextras gladio potente
Fortiter ausas,
Huc ades! cantu tibi glorioso
Sæculi nostri memoretur Hector
Integer vitæ, scelerísque purus
Cælibe Marte.
Ille, ceu fulgur, metuendus hosti
Inter ardentes rabie phalanges,
Et repercussas radijs machæras
Vertice major
Emicans toto cataphractus agro
Ausus armatos, aciéque plenâ
Aggredi vinctos cuneos, furore
Actus in hostem
Castra perrupit. BOICUM minaci
Ipse servavit generosus OEnum

Sue-

Sueco inaccessum; licet expeditum
Sternere pontem
Sæpe tentaret, vigilans in omnem
Hostis incursum juga fixa docto
Rescidit jactu, resupina toto
Nantia rivo.
Testis OEtinga est: resonante passim
Valle mugitus, pyriósque bombos
Ænei sclopi, solidíque ructus
Audijt æris.
Pace confectâ, rediens ab armis
Ferrei campi, spolijs onustus
Bellico miles trabeatus ostro
Præfuit Urbi,
Quæ celebratas geminâ Minervâ
Exhibet Lauros, solidísque vallis,
Et situ præstat famulante celsis
Mœnibus Istro.
Turcicâ demum rabie ingruente,
Bellicosorum Legio virorum
Jussa suspecto vigilare Marti
Sub Duce tanto
Signa promovit. vafer at repente
Hostis irrupit, spatio, locóque
Usus ad palmam, reliqua imparata
Repperit arma.
Impetu tanto malè sustinendo
Cum suis impar, numerum strategus
Martio supplens animo morari
Cogitat hostem:

Ecquis

Ecquis o! mecum, generoſe miles,
Rebus anguſtis, celeríque Marte,
Primus huc audax, ait, ut citatum
Vadat in hoſtem?

Quæritur nobis hodie paranda
Stando, vel ſaltem moriendo Palma:
Sorte felices erimus ſecundâ,
Sive ſiniſtrâ.

Perſtitit campo, necis obſtinatus
Ipſe contemptor, cohibénſque Turcas
Paſſim inundantes ſtitit irruentum
Caſtra Scytharum,

Nec manum bello ſatis abſtinere
Doctus, incautâ capitis figurâ
Fortè reſpectans pyriam recepit
Vertice glandem.

Milites viſo Duce vulnerato
Ampliùs moti pepulêre turmas,
Ceu ſolet viſo Lybicus recenti
Sanguine Barrus.

Conſtitit tanto Duce pugna victrix.
Dextra quid poſſit, quid avita Virtus
Teutonum, victi didicere Turcæ
Cæde ſubacti.

ODE LIII.

ODE LIII.

Generosissimum factum VIRGINIS CHRISTIANÆ celebratur, quæ captâ à MUSTAFFA Insulâ CYPRO, & navi imposita cum tota Insulæ præda pudori suo apud Turcas metuens subjecta Pulveri pyrio flammâ plures naves incendit, & in auras dispersit.

Fam. Strada in suis Prolus.

VAti canendæ sunt & Amazones,
Illæque supra femineum gradum,
Sexúmque vectæ, quas nec hostis,
Nec facies inimica ferri
Mollivit, ut se virgine Laureâ
Metu abdicatas in maculas darent,
Lenocinatis ut Tyrannis
Innocuum luerent pudorem.
CYPRI potentis Turcicus Insulam
MUSTAFFA sævo ceperat impetu,
Navémque prædâ comparatâ,
Ære, opibus, spoliísque fartam,
Lectæque formæ Virginibus gravem
(Ut feminarum sunt cupidi Getæ)
Præmiserat victor Tyrannus
Militiæ specimen secundæ.

Casto

Casto Puellam corpore vexerat,
Audaciorem præ reliquis scapha,
Votóque sancitam procacem
Contra Hymenem, Venerísque flamas,
Toríque leges. Hæc generosiùs
Perire quærens, non muliebriter
Expavit ignem, nec latentem
Fassa animum genio virili,
Deliberatâ morte ferocior,
Turcis pudorem scilicet invidens,
Periclitaturúmque florem,
Grande animo meditata factum est;
Illa at fideli cauta silentio
Insigne pressit mente negotium;
Occasiones aucupata est,
Sed tacitas, operáque dignas,
Justéque sævum consilium coquens
Amara mæchis Virgo procantibus,
Blandéque adulatis Tyrannis,
Ungue, manu, colaphísque pugnax
A se protervi basia militis
Vertisse fertur pectore masculo,
Contráque vesanos amores
Virgineo glaciata voto
Stetisse puro corpore florida.
Quantum valebat, mascula restitit,
Getásque submovit pudore
Innocuo cupidos potiri
Irata formæ, quæ faceret procos.
Non illa Cyprin Cypria noverat.
Diffisa

Diffiſa ſed ſpurco Tyranno,
Et fragili generis juventæ,
Mollíque ſexu, maluerat mori,
Quàm deperiri, plus maculæ timens,
Quàm vitæ, iniquam ſervitutem
Conſtituit nece prævenire:
Cùm namque ſciret, quid ſibi barbarus
Procus pararet, funera præferens
Decrevit omnes concremare
Haud ſterili moritura fato,
Facémque diro ſubdere pulveri
Audace facto. favit iter dolo,
Velis ſecundis incitatâ
Odryſiâ properante nave.
Ergo propinquo veſpere cereum
Virago prompſit: diſſimulans rei
Immerſit in nitrum, ferocem
Materiam petulantis ignis.
Hoſtile lumen vix tetigit dapem;
Veſevus ingens emicuit. fragor
Fatalis ignem conſecutus
Exſpuit in tremulas procellas
Totas carinas. jactus in aëra
Cum conglobato navita milite.
Diſcerpta cum malo trieris
Præda fuit picei furoris.
Vix unus aſſer ſoſpes ab ignibus.
Ardere viſum eſt ipſum etiam mare,
Mixtúſque Neptunus peroſo
Mulciberi tenuiſſe rixas.

Fruſtra

Frustra liquenti fonte coërcitas.
Thesaurus omnis divitis Insulæ
Abivit in fumum, & favillas,
Præda hominum, pretiíque præda.
Cunctis subactis, navibus, Urbibus,
Virgo remansit nomine nobilis,
Sed mente major, réque gestâ
Temporibus recitanda seris.

ODE LIV.

GERMANIA, suismet discordijs confecta iterato questu deploratur.

AUgusta Tellus, & timor hostium
Quondam suorum, dum fuit unio
Inter Potentes, quàm dolendo
Corruit attenuata casu
GERMANA Mundi pars celeberrima
Vocata quondam, quæ populo frequens
Procul remotis bellicoso
Gentibus intonuit Gradivo!
Sed nil perenni est robore præditum,
Ferróque cusum. grandia desinunt.
Humana jam crescunt in altum,
Jam subitâ trepidant ruinâ:
Ceu febre corpus quod flagrat hecticâ,
Languente sensim deficiens morâ

Exsu-

Exſugitur furtim: Coronis
Sic pereunt quoque Regna lentis,
Ac vix notato funere concidunt,
Donec ſepulcri gramina mordeant.
Provinciæ quot jam ſubactæ
Vix dominos retinent priores?
Quid tandem inauſum TEUTONIAE novæ eſt
Ætate noſtrâ in mutua vulnera?
Omnéſne fumantes rebelli
Cæde ſagax numerabis Urbes?
Nondum profuſo tam malè ſanguini
Dies ſtatuta eſt, quæ dirimat neces,
Sed parricidali lavamus
Semper adhuc Patriam cruore.
GERMANA ſenſim res clepitur ſtylo,
Suóque ſceptrum diripitur Sago:
Noſtráque diteſcunt medullâ
Galli, Itali, Batavi, Süeci.
Fuere Troes, grandia nomina:
At deſierunt. crevit ab Ilij
Claris favillis clara Roma:
Magna hodie, diuturna flore
Suo futura eſt tempore debilis:
Námque & ſenectus Urbibus eſt ſua.
Cùm deficit ſanguis peculJ,
Regna labant, faciéque pallent.
GERMANA Tellus, quæ fuit, obſecro,
Olim tuarum nobilitas opum?
Confluxit huc totum metallum,
Et niveo, croceóque vultu.

 Si quis

Si quis vetuſtæ falcibus amputet
Truncum Cupreſſi, multa manet tamen
Soſpes prioris pars odoris
In reliquo, mutilóque ramo:
At nec fidelem Teuto decentiam
Pectúſque ſpirat, quod niveum dedit
Natura genti, candidúmque
Perſpicuo ſpeculare vitro:
Perplexa falſis tempora retibus,
Et texta nodis ſæcula Gordijs
Videre ubique eſt, atque Ulyſſis
Duplicis ingenium doloſum.
Mutata quantùm eſt gloria Patriæ,
Gentíſque mores, atque potentia!
Seu quis requirat firma pubis
Pectora, ſive animos, & auſa.
Deleta quando Græcia corruit;
Exſuſcitata eſt vis Otomannica,
Majórque ſurrexit Monarcha
Turcicus, & ſcelerata Luna;
Adhúcque noſtris ruderibus ſuam
Firmabit Aulam ſanguinis Helluo,
Laſciviens noſtro cruore
Teutonicis inhiabit arvis.
Nonne illa creſcit Barbara plurimis
Hyæna Regnis? nónne propinqua ſtat
Janizarorum natio trux
Corporibus, jugulíſque noſtris?
Hoc libra quævis palpitat ordine,
Ut, una quando ſuccuba lancium

Sidit

Sidit profundè, mox resurgat
Altera, quæ fuerat subacta:
Nempe orbis ætas ultima Barbaris
DEI flagellum tradidit in manus,
Quo Christiani vindicetur
Opprobrij scelerata vita.
Ah! parce tandem Patria cladibus,
Et tot duellis subtrahe pabulum
Mars dire, juratásque mergi
In proprio gremio secures
Absolve tandem, ne feriant suam
Semper Parentem. sunt alij super
Quêis perfidam frontem revellas
A jugulo, mediósque scindas.
Pestem execrandam ne procul autuma.
Europa Turcas jam dolet hospites.
Lunata tempestas Parentis
Jam gremio propè stat potita.
Cognata necdum prælia finies?
Nondúmque spectas tot pereuntium
Sitim coronarum cruentum
Semper adhuc stimulare monstrum?
Ah! tandem amici sanguinis elue
Infame punctum: tot popularium
Labem cicatricum Gradivi
Obsequio melioris orna.
Atlante fesso denique concident
Tot fracta bellis jurgia Teutonum,
Et arma fortunata quondam
Egregiâ nece Barbarorum

Unum in ſepulcrum languida corruent.
Ut fallar, opto. ſed faba proxima eſt,
Cudenda noſtros in lacertos.
Jam flagrat Ucalegon propinquus.

ODE LV.

Mors certa, hora incerta.
Statutum eſt omnibus hominibus
ſemel mori.

CRaſtinam ſemper miſeri coloni
Vivimus vitam ſtudio futuri:
Mille victurum velut eſſet annos
Debile corpus;
Cùm tamen fungi breviore fato
Simus urgendi, tumulus refoſſo
Jam patet nobis puteo. citamur:
Hinc abeamus.
Quælibet Letho properatur ætas.
Singulis pulſus propè mortualis,
Æsque campanum loquitur diebus,
Serpere mortem.
Nónne diteſcunt nece tam frequente
Urbium paſſim Parochi canendâ
Funebri miſsâ? Tribus ipſa creſcit
Æditurorum.
Mortis appendix habet expeditam
Syrmatis pompam, variiſque conſtat
Scena

Scena personis. premitur sequaci
Funere funus.
Est adhuc infans: morietur infans.
Cruda Mors æquè juvenes trucidat.
Prima, quæ vitam tulit, imminutam
Clepsydra carpsit.
Principis sceptrum geris, es Monarcha?
Infulam Præsul, triplicem Tiaram
Pontifex portas? nihil es: citaris
Cæsar: eundum est.
Quæris: at quando procul hinc migrandũ est?
Hora nescitur, Libitina scitur.
O! reis O si liceat, statutum
Nôsse Tyrannum,
Quando fatali nociturus arcu
Osseus prædo, licitatus ense
Debilem vitam, properet secare
Scissile filum,
Ad viam tantam meliùs paratæ
Forsan exirent animæ expiatæ.
Non satis cautum est. Apoplexis una
Sufficit Orco,
Ut reos damnet. juvenilis æstus
Plurimos febri calidâ peremit,
Qui putabantur Pylij vetusta
Morte futuri.
Plurimi Ponti metuunt procellas,
Et dein flammis pereunt. favillas
Qui timent, undis obeunt. supremus
Nos latet ictus.

 Miles

Unum in ſepulcrum languida corruent.
Ut fallar, opto. ſed faba proxima eſt,
Cudenda noſtros in lacertos.
Jam flagrat Ucalegon propinquus.

ODE LV.

Mors certa, hora incerta.
Statutum eſt omnibus hominibus
ſemel mori.

CRaſtinam ſemper miſeri coloni
Vivimus vitam ſtudio futuri:
Mille victurum velut eſſet annos
Debile corpus;
Cùm tamen fungi breviore fato
Simus urgendi, tumulus refoſſo
Jam patet nobis puteo. citamur:
Hinc abeamus.
Quælibet Letho properatur ætas.
Singulis pulſus propè mortualis,
Æsque campanum loquitur diebus,
Serpere mortem.
Nónne diteſcunt nece tam frequente
Urbium paſſim Parochi canendâ
Funebri miſsâ? Tribus ipſa creſcit
Ædituorum.
Mortis appendix habet expeditam
Syrmatis pompam, variiſque conſtat
Scena

Scena personis. premitur sequaci
Funere funus.
Est adhuc infans: morietur infans.
Cruda Mors æquè juvenes trucidat.
Prima, quæ vitam tulit, imminutam
Clepsydra carpsit.
Principis sceptrum geris, es Monarcha?
Infulam Præsul, triplicem Tiaram
Pontifex portas? nihil es: citaris
Cæsar: eundum est.
Quæris: at quando procul hinc migrandũ est?
Hora nescitur, Libitina scitur.
O! reis O si liceat, statutum
Nôsse Tyrannum,
Quando fatali nociturus arcu
Osseus prædo, licitatus ense
Debilem vitam, properet secare
Scissile filum,
Ad viam tantam meliùs paratæ
Forsan exirent animæ expiatæ.
Non satis cautum est. Apoplexis una
Sufficit Orco,
Ut reos damnet. juvenilis æstus
Plurimos febri calidâ peremit,
Qui putabantur Pylij vetusta
Morte futuri.
Plurimi Ponti metuunt procellas,
Et dein flammis pereunt. favillas
Qui timent, undis obeunt. supremus
Nos latet ictus.

Miles intentus furijs Gradivi
Æneæ mortis metuit canales;
Ast in hibernis alia actitantem,
Hoste remoto,
Ædium præceps sepelit ruina
Martio siccum fluvio. Parentum
Inter amplexus moritur paterni
Pullus amoris.
Mortuum pleno monimenta tradunt
Xeuxidem risu, lepidóque fine.
Optio mortis tibi nulla fiet,
Et mihi nulla.
Ite mortales, date vela votis
Et voluptatum recubate nido.
Quælibet Morti famulatur hora,
Nuncia cladis.

ADAMI WIDL
E SOCIETATE JESU
LYRICORUM
LIBER SECUNDUS.

ODE I.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM OETINGANAM.

Ut prioris, currentisque sæculi miserijs, discordiisque Principum Christianorum medeatur.

FUnestioris tempora sæculi
Non vidit Orbis. sedibus intimis
Excitus Orcus se pudendo
Associans hominum furori
Infecit oras. flebilis Hæresis
Exorsa fertur difficilem statum,
Quando excucullatus subulcus,
Et Veneris redolens cloäcam

Laxavit omnes illecebris vias,
Et diſſolutâ conjugij fide
Suaſit voluptates nefandis
Propudijs, maculíſque plenas.
Jus omne peſſum mox ijt, & fides
Prætexta fuco ſacrilegi Popæ
Tellure largâ ſeminata eſt,
Finitimis adamata regnis.
Acceſſit armis fulta protervia.
Arsere bellis Regna potentibus,
Cæſárque ſpretus contumaci
Paſsim odio, celeríque motu
Europa vaſtis ſedibus eruta.
Urbes potentes Perfidiâ duce,
Apoſtatâ incentore myſtâ
Viſæ aciem ſtruere expeditam.
Tum lividorum nauſea Principum,
Et plebs herilis non patiens jugi
Diſcorde certavit tumultu
In propriam facilis ruinam,
Furórque cæco claſſicus impetu
Florente paſsim corpore ſæviens,
Regnóque toto, ſe tueri
Enſe ferox properans ad arma
Ter provocavit ſcommate CAESAREM,
Totóque campo perſtitit hæreſis,
Parata ferro peſtilentem
Sanguineo ſtabilire ſectam,
Plúſque inſoleſcens, fretáque copijs,
Victoriíſque aſſueta ferocibus

In

In inquilinos concitata,
Fœderibus violenta ruptis,
Accincta telo contudit omnia,
Ferróque & igni mœnia, prædia
Vastavit, & sacris profana
Miscuit, indomitóque fervens
Æstu, sacratas diripuit domos,
Humíque stravit. rudera plurimo
Jacent acervo: dissipatis
Indicium faciunt ruinis.
Laxata ruptis claustra repagulis
Sacro pudori. corpora Virginum
Extracta, fœdis inquinata
Flagitijs, vetitáque prole
Dicatus astris stare uterus gravis
Ubique visus. Sanguinis alvei
Undâsse toti, vorticoso
Ceu pelago perhibentur amnes.
O impotentis jurgia sæculi,
Sævósque mores! siccine Martio
Semper tumultu, propriísque
Patria vulneribus peribit?
Si bella strictis sæva mucronibus
Placet potenti milite prosequi,
Cur nostra semper provocamus
Pectora? cur Patriæ nocemus?
Cur pressam iniquâ sorte Poloniam
Non sublevamus? cur Lithuaniam
Bellis fatiscentem profanis
Hostibus in spolium litamus

Durante ſemper lite domeſtica?
Potúmque multa tabe Boriſtenem
Non liberamus Tartarorum
Gente vaga, mediáque clade,
Et ingruentum turbine Lapponum?
Laſcivientes ſanguine Barbaros
Cur viribus junctis, & armis
Non petimus, gladiiſque gentem
Bello ſeveram exſcindimus integram?
Cur innocentem ſub cane Turcico
Arctâ fatigatam coronâ,
Et Getico tremulam ſub ictu
Non liberamus milite CANDIAM?
Cur fœderatas non ſtruimus rates,
Claſsémque totam, Thraciáſque
Inſequimur pelago carinas?
O VIRGO, Pacis MATER AMABILIS,
Parénſque vitæ, quæ Boico ſedes
Illuſtris OEno, Chriſtiani
Præſidium, columénque Martis,
Quæ nominaris terribilis Phalanx,
Arce timores, prælia ſubmove,
Tuóque Nato conſecratos
Unanimes retine Monarchas:
Tu flammearum fulmina glandium,
Tu ſauciorum vulnera mœnium,
Tu marcidarum civitatum
Pelle famem, ſteriléſque ſicco
Morbos palato, Tu maciem leva,
Tu feriatum tempore bellico

Tem-

Templis honorem, Numiniſque
Ingenuum revocato cultum:
Dic, pulchra fiant Imperialium
Nexu perenni fœdera Principum
Adverſus armorum tumultus,
Inſidias petulantis ævi:
Fac, ut benigni rebus in omnibus,
Velut catenæ membra, cohæreant.
Arcana comportent in unum
Conſilia, unanimémque nervum.
Antiqua ſancto fœdere ſæcula
Ablata furto Martis inhoſpiti,
PATRONA MUNDI, reſtitutâ
Ire jube ſpecioſa pace:
Compeſce rixas, ſemina litium,
Suſpecta belli vincula diſſipa,
Et dormientes fraudulento
Sub cinere exanima favillas.
Si quis Gradivi ſe furor ingerat,
Unita virtus fortiùs emicet,
Et Chriſtianis edometur
Undique Mars peregrinus armis.

ODE II.

Enthusiasmus Mortualis, sive Lessus super morte R. P. JACOBI BALDE è SOCIETATE JESU, Poëtæ Clarissimi.

O quàm scientem perdidimus VIRUM,
Castúmque Vatem, prodigium Lyræ!
Minerva conducto ferétro
Visa nigram est celerare pompam.
Pullásque vestes, mæstáque pallia
Undante limbo: jam caput abditum
Atro cucullo naufragari
Cecropiâ ditione visum
Domi quieto se tenuit lare.
APOLLO docto sponte silens choro
Atratus incedens molesto
Fata tulit pretiosa questu:
Molitus alto pegmate fornicem
Castrum doloris jussit is erigi,
Totóque Parnasso profana
Gaudia, lætitiæque vocem
Proscripsit omnem, Musica cymbala,
Et fistularum quicquid ibi sonat,
Chordásque vocali tumultu,
Et reliquum chelyum apparatum
Suspendit atri tempore funeris.
Deæ novenæ munere lugubri

Fun-

Functæ, querelas præficarum
Femineo cecinere planctu.
Fuisse Musis tristior omnibus
Fertur profusis URANIE genis,
Quam delicati vir cothurni
Virgineâ celebravit arte:
Adstans amico mæsta cadaveri
Pluit modestis nubila lacrymis,
Et floribus sparsis pudicos,
Vere sacro, cumulavit artus.
Multo rigatum corpus aromate,
Et sumptuoso fertile balsamo
Immo Lyceo collocatum est
Cum reliqua statione vatum
Adhuc fragranti carne superstitum,
Cum PULCHARELLIS, & MALAPERTIIS,
Cum SARBIEVIS, MILLIAEIS,
Et reliqua serie MARONUM.
Sculptum perenni stat feretrum Cedro,
Circúmque pendens assiduis vigil
Lampas favillis de Sabæa
Continuos pice nutrit ignes.
Infra disertus virgine fons scatet
Exortus undâ, Lympha salubribus
Beata portentis, ut, inde
Qui biberit, subitò Tibullus
Haustu creetur, nobilis unico,
Aut, qui podágrâ fortè Poëticâ
Versus supinant claudicantes,
Hoc bibito vegeti Falerno

Saltent

Saltent molestâ compede liberi.
Lævâ virentem surgit in arborem
  Amæna Laurus, quæ per ossa
    Serpit odorifero corymbo,
Corpúsque vernis nexibus illigat.
Hoc apparatu tumba sacri stetit
  Exculta vatis, quem dolendo
    Exanimem cecidisse fato
Testatur amplis luctus honoribus.
Credámne tandem seria funera?
  An cerno fumantem recente
    Igne Rogum, placidúmque bustum
Cœlo propinquis crescere nubibus,
Quo literato corpore conflagret
  Vir gloriosus, maximorum
    Promeritus diadema vatum.
At ecce! tristem mittite næniam.
Non ille sævo mortuus est foco.
  Phænicis instar, suscitato
    Nomine post sua fata vivit;
Famâ triumphat liberior suâ,
Partúque felix magnanimus cinis.
  Tu, quisquis es tandem, VIATOR,
    Ingenuos venerare Manes.

ODE III.

ODE III.

AD RELIGIOSISSIMUM VIRUM CLAUDIUM BENEDICTUM SALUTIS PROXIMI STUDIOSISSIMUM.

Maximum opus esse, unicum peccatum mortale vel unius noctis impedire.

QUæ tibi flendi, BENEDICTE, causa est?
Terreum ploras nihil, aut caducum.
Altius quiddam ciet eliquati
Pectoris undas.
Sentio quid sit. sceleratus orbis
Causa plorandi est. Venus impudicis
Ignibus fumans, meretrixque spurci
Flamma Vesevi:
Sericæ fraudes, homo palliatus
Laneæ mendax pecudis figurâ,
Sæviens retrò petulante tergo
Ludio Mundi:
Pessimæ lites, veterana longis
Vita silvescens odijs: honorum
Ambitus turpis, reliquæque pestes
Sanguine flendæ.
Causa plorandi solida, & perennis
Numen offensum, mutilúsque cultus
Sordi-

Sordidis aris: cumulata plenis
Tartara plaustris.
Hinc aquæ fluxus. manifesta causa est,
Cur frequentatis madeas procellis
Uvidus totus, velut illa, manè
Quæ Dea rorat:
Jam scio, quare tacitas sopori
Sæpe furatus prece frangis horas,
Morpheo donec tremulas fenestras
Nox tibi claudat.
Hinc gemis crebrò, querulóque salsùm
Angulo plorans jacularis alto
Corde singultus, similésque promis
Pectore voces:
Quàm tui, NUMEN, miseret! quousque
Perfidum Mundum tolerare perges?
Degener proles meritas recenter
Provocat iras.
Quanta patrantur scelera orbe toto?
Quanta novisti, simulante vultu,
Angulis imis, meretrice nocte
Monstra foveri?
Cùm frequens Urbs est populo redundans;
Murmurant vici nimio tumultu,
Et dolis sese studiosa lucri
Turba fatigat:
Quanta privati laniena lucri
In foro passim est, operosa lucta
Proprij numi timidas futuri
Occupat arcas.
Justa

Justa quem tandem reperit patronum
Causa pupilli? viduæ sepulta
Rixa sub scamno jacet, aut molestis
Ducitur annis.
Ethnici quid non faciunt? machæræ
Prodigi Turcæ, reliquæque toto
Hæreses Mundo malè feriatâ
Plebe frequentes:
Venter infertus nimiâ saginâ:
Ira prorumpens subito furore;
Mente vindictam coquere erudita
Junior ætas
Igneo sensu, celerique bile:
Ebrius Cypri juvenilis ardor
Cereis annis, docilique blanda in
Crimina vere?
Quanta committunt scelera Eucliones
Indiâ haud totâ saturi relatâ
Usque in Europam? quoties supremam ex-
-ulcerat iram
Tota Piratis, onerata classis
Orbis Harpyjs? croceæ cupido
Stiriæ quid non agitat malorum,
Aureus ardor
Impios manes adiens, refosso
Ære, rixatus styge cum propinquâ?
Uspiam nil est sceleri irrepertum:
Omnia tentat
Saga paupertas, & avara pestis.
Quid furor peccat? malè gesta bella
Impiâ

Impiâ causâ, titulóque nullo ex-
-ercita clades?
Barbari quantùm ruditate vitæ
Effero peccant genio, lupinis
Moribus sævi Brasili, & perusti
Solibus Afri?
Quantum inest damni graviore culpa!
Exuit Cœlo: styge sempiterna
Damnat Auctorem malè cespitantem
Improbus error.
Macte! fraternæ sitiens salutis,
Et voluntatum pretiose magnes,
Mentium prædo, BENEDICTE, Cœlo
Corda lucrare!
Noctis unius scelera impedire
Sedulò cura. medio è barathro
Perdius, pernox animas supino
Erue cœno,
Ne meretrices, malè prostitutâ
Carne venales animæ, minaces
Provocent ictus, Nemesísque tentum
Vindicis arcum:
Ne venenato Lamia uncta nardo
Fuscinis curvis, volucríque curru
Dividat nubes, & olente saga
Evolet hirco.
Hæreses strictis adorire telis
Alveum tardans pereuntis Orbis
Siste festinas animas ad imum
Sub styge fundum.
Gratius

Gratius Cœlo nihil eſt ſalute
Perditæ caulæ. reduces ab Orco
Quiſquis adducens animos amicis
Inſerit aſtris,
Ille manſueti patris æmulatus
Aureos mores ad ovile prædam
Perditam lætus revehit, jacentes
Vindicat aras.

ODE IV.

Impiorum omnium in perſequendis probis & ECCLESIA DEI oppugnanda conjunctio, in proprijs verò opinionibus maxima diſſenſio expenditur.

SEmper nocentes exagitant bonos,
Junctáque vires amplificant ope,
Armíſque collatis in unum,
Excidium pietatis urgent.
Adverſus agnos conveniunt Lupi,
Et efferarum quicquid in abditis
Rugit Leænarum cavernis,
Aut ululat nemorum frutetis:
In deprehenſos æquore navitas
Uno dicaces ore ruunt Noti;
Euri laceſſitam protervis
Cum Zephyris ſociant procellam,

Fre-

Fremente quamvis sæpius Æolo
Servent repôstam vulnere mutuo
Sub corde bilem pertinaci
Ambo truces sibi torvitate:
Auceps minorum Falco volucrium
Milvo rapaci jungitur, ut latro
Prædonis adjutus sequelâ
Innocuas perimat columbas,
Quamvis & ipsi se quoque morsibus
Pungant cruentis. Non aliter Mali,
Ut provocatos innocentes
Conficiant, geminant furorem:
Sic ferro & igni persequitur fidem
Ætate quavis degener Hæresis,
Insurgit in Romam Noverca
Marte, dolo, furijs, tumultu.
Coire pridem vidimus in globum,
Arctúmque fœdus sacrilegos Popas
De lege falsa, pestilenti
Ore sopbos, rabulásque salsos,
Unóque septem corpore vertices
(Hydram Lemanno progenitam lacu)
Omnes Magistri fabularum
Unanimi cecinere cornu.
Confecta nexu pax adamantino
Stetit trilici firmior aggere,
Dum Roma probris appetita,
Et furijs agitata PETRA est.
At propriorum quando tumultuum
Verbosa multo rixa calet foro,

Pax

Pax illa migrans in phreneſin
Miſcet inutilium ſcholarum
Vanos labores ſcommate plurimo.
Vix non venitur litibus ad manus.
Pro muſculo ſe controverſo
Dilacerant, laniántque feles,
Pilis ſolutâ pelle volantibus.
Hæc illa pax eſt degener impijs,
Itura ſemper diſſipatis
Conſilijs, variáque ſectâ,
Futura nunquam dogmate concolor.
Non eſſe nôrunt pacifici ſues.
Pro glande decertant cavatâ
Morſibus impliciti cruentis;
Velútque vulpes (quas ſacer Hercules
Loris revinctas in ſegetes vago
Errore Samſon concitavit)
Unanimes, religante caudâ,
Ibant in unum, quà via ſe dedit
Accepta flammis, ſed capite efferæ
Se dente mordebant, & ore,
Dum varios iniere calles
Diſcorde ſenſu: non ſecus impij
Utrâque faſſi parte tyrannidem
In damna conſpirant bonorum,
Séque jocis lacerant acerbis:
Diſſeminatis undique jurgijs
Sacrata flammis horrea concremant,
Mundóque toto conflagrantem
Expediunt furijs Gomorrham.

ODE V.

ODE V.

D. IGNATII Cœlum assiduè intuentis affectus.

PUro choreas æthere lucidas
Phœbæa ducens per plateas Soror
Fulgebat, altum Fratre somnum
Hesperio capiente strato:
Tunc ipsa sudum luce vicariâ
Obibat orbem. grande silentium
Urbésque servabant & agri,
Tecta hominum simul & ferarum.
LOJOLA furtim se speculæ domûs
Inferre suetus, sed pede laneo
Mulcens tenébras, dormientes
Ne socios strepitu notaret,
Stellas adustas Sole precario,
Et palpitantes dinumerat faces,
Argenteum miratus amnem
Virgineo rutilare fluctu,
Incusat orbis desidis otia,
Longósque somnos, & steriles dies,
Damnátque ronchos dormientum
In vitijs, profugúmque tempus,
Passim protervo quod sceleri datur,
Deflet querelis: quid fragiles (ait)
Dormitis altùm, more glirum,
O homines, vetitáque nocte

Mersi

Mersi jacetis? quídve putres lacus
Terrestris undæ, sordida flumina,
Ranis profanatas lacunas
Lingitis immodico palato?
Sursum decoris vultibus est locus.
Beata sursum patria nos manet.
Hîc exulamus; lacrymarum
Hic fovea, & pelagus dolorum est:
Sursum venustis sideribus frequens
Insessus ipso Numine stat Thronus:
Sursum stat immortalitate
Perpetuâ vigil Imperator,
Nostrísque solers actibus interest,
Et arbitratur, quicquid ubique fit.
Supra Beatorum Senatus
Empyriâ dominatur Aulâ:
Supra stat Auctor Luminis & sator,
Rerúmque summus præsidet artifex.
Huc intueri nos oportet,
Et celeres agitare vultus:
Huc ire toto juverit impetu,
Spectare Cœli grande palatium
Crystallinis plenum fenestris,
Perspicuo vitreum theatro.
Discenda ab Astris est Vigilantia:
Ut Luna pernox Pronuba cæteris
Exempla virtutum relinquat
Sideribus, præeátque Stellas:
Frustráne rerum providus arbiter
Sublime spectans os homini dedit,
Ut ran-

Ut rancidâ nos proluamus
Curvæ animæ ſine fronte vappâ?
Toto latrinis corpore volvimur,
Sensúque porcis utimur æmulo,
Obſcæna prenſamus ſepulchra,
Et bibulâ recubamus algâ.
Heu turpis Orbis! quàm mihi ſordidus
Tandem videris, cæruleam domum
Ingente porrectam plateâ
Dum cupidis obeo lucernis!

ODE VI.

AD LITERATUM VIRUM THEODOSIUM MARNIUM ILLUSTRIS IUVENTUTIS MORUM PRAEFECTUM.

Ingenuam Pueritiam non eſſe ſerviliter urgendam.

CEreos annos, docilíſque Veris
Flexiles plantas eme deſtinatis
Præmijs, MARNI, potiúſque blando
Pectora vultu
Perge lucrari. facilis jubenti
Subſilit ſanguis, facit imperata
Sponte, nec flagri metuens, ſed uno
Ductus amore,

Ille,

Ille, quem pulchræ generosa laudis
Masculis urget stimulis cupido,
Sponte sublimi cupit eminere
Primus honore.
Impiger doctos meliùs caballus
Saltat in gyros, glòmerátque flexus
Artifex gestûs, nisi verberetur,
Fusus habenis.
Filios opto tibi, non cruentos
Remiges servos patiente dorso.
Non agi debet juvenis bacillo
Strenuus ullo.
Increpa raro, gere te Parentem.
Fulmina nunquam. nocet ira præceps.
Verba, quæ dulcem sapiant liquorem,
Mellea funde:
Betulæ parcus ferulam quietâ
Conde vaginâ. satis est minari.
Innocens virgæ salientis umbrâ
Ducitur ætas:
Si flagris instes, remorata gressum
Contumax stabit, veluti capistri
Impotens taurus; precibus rogata
Sponte volabit.
Ne rigorosi piperis profusus
Concita pœnas. genuina proles
Abijcit mentem toties rebelli
Marte coacta.
Vapulant servi, soboles amore
Se trahi dextrâ, patitúrve lævâ

Obsequens verbis, ubi nil paratus
Proficit ictus.
Mulceat blandus juvenem Magister,
Nec frequentato laceret flagello
Carnifex sontem, facilésque culpas
Cæde rependat.
Longiùs durant memores notatâ
Pelle vibices, residésque plagæ,
Quàm putet ridens lanio peracto
Fortè macello.

ODE VII.

Laudes HISPANIÆ à fortibus factis ac Religione Catholica seminata, conservata, & eliminata Hæresi.

ARmis IBEROS quis neget inclytos?
Adscripta dudum Bellica Gloria
Huîc nationi est: confitentur
Edita tot generosa facta.
Quò militaris non ijt impetus?
Quò concitatis ignea vis minis,
Et sæva Virtus, par fovendis
Spiritibus solidis, & ausis?
Nostísne gentem, belláque Barbaris
Infusa sceptris, intrepidos viros
Partis tuendis, & subactos
In patria locuplete MAUROS

Rerum

Rerum potentes? non ſterit impetus,
Qui contineri ſe Patriâ ſinens
Dormiret altùm pigritante
Milite, fulmineóque Marte:
Tetendit ultra, mille periculis
Et tot ſeveris caſibus obvius;
Emerſit ex luctu profundo
Heſperius, barathróque mortis.
Servire juſſit, quin docuit mare
Ceu mancipatum remigibus pecus,
Tranſtríſque fregit fraudulenta
Æquora, verberibúſque Pontum,
Vadens ad Indos per medias neces
Nil pervicacis mortis iter timens
Pugnax ſtrategus glorioſa
E populis retulit tropæa,
Torvúmque frendens vicit aheneo
Occluſa muro litora. quot Duces,
Regéſque frænatos coegit
Ire ſuo famulos triumpho?
Quàm ſæpe Mauros fœdere perfidos
Virtute fretos, & numero viros
Peſſundedit pugnâ cruentâ
Heſperius, ſolidóque Marte
Adverſa quantùm diſpulit agmina
Stans ære fuſus? ſigna quot æmulo
Bello recepit, quot vetuſtas
Ex Batavis reparavit Urbes?
Miſſis profano ſanguine prælijs,
Divina Sceptri culmina prædico,

Fidémque ſincero calore,
Nobile Relligione Regnum.
Hæc Terra ſancta eſt, figere ubi pedem
Permiſſus èrror non fuit advena,
GERMANIA ſectis flagrante,
Heſperij novitate fraudis
Stetere puri. cùm flueret lepra
Partes in omnes, Regnáque perderet,
Impoſtor externus ſub ignis
Supplicio procul eſſe juſſus.
Quot Chriſtiano conſpicuos viros
Conceſſit Orbi fulgida natio?
Scientiarum quot Coloſſos,
Qui cerebro, calamíſque ſtrictis
ROMANA paſſim reſtituunt ſacra,
Doctóque Summum robore Præſulem
Tuentur, hæredéſque claves,
Et triplicem ſolidant Tiaram:
Humana vates Numina dixerit
Grandes LUGONES, cúmque SUARIIS
Fortes TOLETOS, qui profundo
Ingenio tutudere fraudes.
Accinctus Orbi eſt Heſperius Novo
Examinando. Regna reperta ſunt,
Diúque inexploratus Indus
Prodigio eſt patefactus artis:
Hæc namque ſacram Natio Vineam
Felix ad Orbis protulit angulos,
Legémque fauſtis ſeminatam
Auſpicijs Oriente ſanxit;

Con-

Confœderatam duxit ab ultimo
Solis cubili nutibus Indiam,
Devinxit Europæ Sororem,
Et ſocios cicurans amores
Servam ferinum dedocuit ſtatum,
Novóſque mores, & ſapientiam
Magiſtra dictans glorioſis
Erudijt cupidam Lyceis.

ODE VIII.

De continuis omnium propè ſæculorum bellis ex ſola ambitione regnandi ac plura habendi libidine ortis, déque rerum terrenarum vilitate.

QUot jam cruentis conſtitit enſibus
Anguſtus Orbis perbrevis ambitus?
Et quot coronatis litatum eſt
Funeribus, necibúſque Regum,
Ut terra ſtaret cauſa tot hoſtium?
Quantum cruoris fluxit, & inclyti
Fuſum liquoris pro puſillo
Circuitu, tenuíque Pomo eſt,
Quantúmque ſucci terra vorax bibit?
Quantis procellis erubuit mare
Tabo coloratum profano,
Tótque cadaveribus natatum

Mortem profundo vortice naufragam
Vexit per undas, quando potentibus
Utrinque concursum carinis:
Sæpe fuit, patulisque velis
Certare visus cum Domino maris:
Anglo Batávus vincere providus.
Adhuc refertus mortuorum
Relliquijs NEOPORTUS albet,
Et conglobatis ossibus eminet.
Adhuc profuso sanguine ECHINADES
Turcis peremptis bella monstrāt,
Et liquidum sceleris sepulcrum.
Quanto innocentum sanguine corporum
Inebriatus Mundus inhorruit?
Qot cladibus passim patratis
In solium fabricata terra est,
Adhúcque seris temporibus ferox
Sævire pergit turbine bellico
Mars, inverecundóque ferro
Regna quatit, modicíque Puncti
Litem cruento persequitur stylo,
Et arma stringit tristè micantia,
Sibíque terræ portionem
Vendicat, exiguúmque frustum.
Si comparemus sidereis globis,
Vastísque sphæris infima corpora,
Vix terra servabit figuram
Pulicis, invalidæve muscæ.
O nos ineptos! scilicet edito
Molitor Orbis despiciens tholo

Ridet

Ridet labores, sordidóque
E sabulo fragiles acervos,
Ædésque nostras, atque palatia,
Tanquam vir amplus, qui pueros videns
Domunculas molli ex arena
Fingere, ridiculósque nidos,
Moto quietus vertice præterit,
Gravíque vultu dissimulat struem,
Secúmque nimbos, atque ventos
Volvit, inutilium laborum
Sævos tyrannos, qui rapidis labris
Theatra fracto pegmate subruent,
Lutíque compagem solutâ
Materiæ levitate sternent:
Ille ipse naves ridet, & integris
Instrata silvis æquora, cùm videt
Nos præliari pro minuto
Fortè lacu, pelagíque tractu:
Cêu, qui locustas jurgia conspicit
Quandóque lecto milite persequi,
Agménque formicis resultans,
Et populum ciniphum, ac crabronum
Pugnare cernit pro spatio levi
Terræ virentis, pro modica scrobe,
Palmóque frondentis roseti,
Pro folio, tenuíque ramo.
O dissoluti moris Adamidas!
Quàm rusticani sors melior viri est
Præsente contenti tributo,
Quod modico tulit ex agello,

Mendace nunquam cespite qui viret,
Nec verberatis grandine fructibus,
Quàm Regis, aut qui purpurato
In solio, mediisque gemmis
Lucent amicti veste metallinâ,
Auróque textâ? suaviùs in suo
Mopsus grabato, vel caducis
In folijs, cremióque sicco,
Duróve felix oscitat assere,
Suáque caulâ verna quietior
Porrectâ distendit figurâ
Quadrifidâ spatiosa membra,
Quàm CAESAR, aut qui stant populos super
Plumis sepulti mollibus, & nive
Tristes olorinâ fugacem
Solicitis mutilant soporem
Curis omissum. quàm melius, regi est,
Et disciplinæ vivere subditum,
Quàm præsidere, ac profanum
In populos agitare sceptrum?
Præstat canistro degere mucido,
Haustúque vitam ducere rancido,
Quàm sumptuosis delicatæ
Se pateris satiare mappæ,
Intùs serenâ mente quiescere,
Nescire Manes, & lemures domûs.
Hæc vera tandem, nobilisque
Lætitia est, animíque gemma.

ODE IX.

ODE IX.

AD PANTALEONEM TORNUTUM.

Ut vitam inopem æquo animo ferat.

SI tibi nulla domi pera est, si nulla supellex,
Si parco modio Ceres,
Si nimij tibi liberi,
Si jejuna tibi mensa est, si mæsta culina,
Si discus tibi sobrius,
Si laceræ macie genæ,
Si venter querulus, si viscera inania clament,
Decurrántque volumina
Fassa suam gemitu famem:
Si latrans stomachus vacuo clangore resultet,
Si jejunia mordeant,
Si faciem scabies edat,
Est patiente tamen sors illa ferenda dolore,
Speranda est melior dies,
Sæpiùs aura benignior.
Haud adeò raró Numen providit aristas,
Et panem famulis dedit,
Horrea pinguia frugibus.
Dispensatores DEUS, OEconomósq; creavit
Corvos, datores pabuli,
Queîs claves dedit ad penum:

Illi non magnis alis, humilíque volatu
Tulere PAULO prandium,
Panis dimidij ſtipem.
Olim mirificus piſtor DEUS æthere factus
Panes Sidereos pluit,
Et ſapidam Cererem polo:
Flere petras fecit, quando Dux Corniger arctâ
Excerpſit populum Pharo
Obſidionibus aridum:
Gens pluvias ſtupuit raras, & pocula ſaxi,
Pincernas lapides meri,
Roſcida ſidera panibus.
Si tam munificum durâ cervice rebelli
Se geſſit populo Patrem,
Quid tibi, PANTALEON, dabit?
Numen amãs hominũ volucres ſi paſcit egenas,
Quid Mortalibus offeret?
Non ſinet eſurie mori.

ODE X.

AD CORBÆUM ALLIMONTIUM LITERARUM OMNIUM, JURIS PRAESERTIM AMATOREM, AC PATRONUM CLARISSIMUM.

Labori omnia, & maximè Literarum Studia ſubeſſe.

LAbore conſtant omnia. nil Dij
Gratis inerti vendere ſomnio
Nove-

Novere, famam nundinati
Obſequio generoſiore.
Labore vænit Purpura Regia,
Sago cruento, milite ſtrenuo,
Non feriatâ ſervitute,
Sed gladio licitante regna.
Laborioſos nectit Araneus
Prædator orbes: mella coquunt apes,
Favóſque pinſit delicato
Innuba gens operoſa viſco:
Longis laborat ſolibus artifex
Autumnus uvas, poma rubentia,
Aurúmque poſtremis ſepultum
Viſceribus radij perennes
Attemperatâ lampade præparant.
Moroſa gemmis ſtat patientia,
Illuſtre donec penicillum
Sardonyches, onychéſque pingat.
Mercator Indos circuiens rate
Labore multo detegit aureos
Ligone colles, & feracem
Invenit aſſiduus medullam.
Duras aceto perterebrans fibras,
Et contumacem tranſadigens humum
Crudum labori fœneratur
Hannibal ingenium petrarum.
Sic eſt. labori tempora ſerviunt
Fœcundioris conſcia præmij,
Furata ſomno glorioſos
Magnificis titulis honores.

Suàpte pompâ difficilis capi
Non otiosam docta Scientia
  Mentem subintrat, perpolitur
    Arte animus, patiente curâ.
Vetus querela est: nascimur inscij.
Tardè relucent ingenij faces.
  Formamur usu longiore.
    Serior ingenua est favilla.
Inepta nactus corda scientiæ est
Effeminato marcidus otio;
  Osor laboris, qui virentem
    Dilapidat sterilis juventam,
Et qui plateas noctibus omnibus
Grassando turbat, nec sedet ad facem
  Domi modestus lectitando,
    Aut solidos populando libros.
Hæc gloriosa est Regula temporis
Bellè elocandi, volvere BARTOLUM,
  Et eruditis se Magistris
    Pascere, Magnificóque BALDO.
Inauspicatis fallere lusibus
Non audet horas, qui moderans sui
  Musæa rimatur Sophorum,
    Et celebres meditatur artes.
Inter probrosi temporis otia,
Intérque luxum, & spumea pocula
  Non eliquatur tam serenus
    Ingenij, cerebríque fœtus.
Qui fumigantes cortice Brasilo
Sorbet canales, & malè olentibus

Sipho-

Siphonibus lambit medullam
Tartaream, ſtygióque ſucco
Inceſtat omnem ſordidus aërem,
Capútque tetris noctibus imbuit,
Occaſionem deflagranti
Sæpe dedit ſtolo civitati,
Et concrematis Urbibus integris:
Non illa Radix artibus, aut libris
Eſt apta. Pallas Liberalis
Haud nebulas amat, aut vapores.
Heſterna necdum pocula ſi caput
Digeſſit udo debile Morpheo,
An ſermo cras quiſquam ſerenus
Eveniet, ſapiénſve ſcriptum?
Non is palæſtræ natus Olympicæ eſt,
Aut glorioſo pulveri idoneus,
Ignobili qui conſecravit
Se Veneri, bibulóque Baccho.
Contaminato non animo ſedent,
Fimóque Muſæ pectore candidæ.
Ubi exulat mentis pudicæ
Integritas, fugit inde Pallas,
Nec hoſpitatur Virgo ſcientia.
Nî quis ſceleſtis ſordibus enatet,
Deſperet in Sponſam Minervam
Ducere, Tiſiphonéque nubat.

ODE X.

ODE XI.

AD AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM LEOPOLDUM I.

De obtenta ipsius Auspicijs illustri ad S. Gotthardum contra Turcas Victoria, déque detecta periculosa Hungarorum quorundam conjuratione.

INvicte CÆSAR, Gloria Teutonum,
Spes ipse magni Nominis unica,
Solus Coronati superstes
Sanguinis, AUSTRIACÆque Princeps
Columna Stirpis, NUMINE PROSPERO
Nuper profusis vidimus ossibus
Albere campos Hungarorum,
Et roseo temulenta Ponto
Natare victis arva latronibus.
Luctatus inter vilia corpora
Livere spissis visus undis
Rabba Pater refluum sonoro
Flumen cachinno torsit, & abdito
Urnam sub antro condidit anxiam,
Dum sæva strages præteriret
Indomitis inimica Turcis.

Tunc

Tunc Christiani fulgur acinacis
Lucere stricto visus acumine,
Et sparsa latè fulminantum
Ignea vis reboans tuborum,
Fragórque pronis vallibus editus
Passim loquacis vocis imagine
Reverberato auctus tumultu
Gentibus insonuit remotis.
Pluit nocentis sanguinis imbribus,
Quando helluatus cædibus integris
Germanus ensis subjugavit
Legitimis Aquilis tyrannos,
Lunæque fregit barbara cornua.
Arrecta equinis ira stetit jubis,
Mansúmque spumans dente frœnum
Terruit Odrysias cohortes.
Itum in palæstram est mentibus arduis.
Passim frequenti terra cadavere
Surgebat altùm, ponderosis
Funeribus gravidatus agger.
TU stante vultu, MAXIME CÆSARUM,
TU providenti consilio potens
Campos inundatos Gelonis
Exoneras, revocásque Pacem:
Ut ignis hostem passus aquam, supra
Guttas rebelles navigat arduus,
At cum tumultu præliatus
Exilit, & domito liquori
Victrice semper luce supervolat,
Siccátque vires Marte resistere

Ausas,

Auſas, retardantéſque palmam
In nihilum redigit vapores,
Sic TU fugatis hoſtibus eminens,
Preménſque victor colla nocentium
Calcans acervos Barbarorum
Imperij acceleras triumphum:
Tuis redempta eſt auſpicijs timens
Irruptiones nobilis AUSTRIA:
TU perduellem victor hoſtem
Ad patrias abigis paludes.
Hæc in patenti pulvere præſtita.
Atrociori bella domeſtica
Reſtant Gradivo, vix notata,
Arma vafro taciturna Marte.
At non fideli nocte recondita
Sub involucro fraus latuit diu:
Extracta ſuſpectis latébris,
Tota, DEO vigilante, vulpes,
Detecta plenâ eſt luce rebellio,
Et perfidarum natio mentium
Servavit AUGUSTUM potenti
Imperio Caput, & Coronam.

ODE XI.

ODE XII.

AD CELSISSIMUM S. R. I. PRINCIPEM MARQUARDUM II. EPISCOPUM EUSTETTENSEM AUGUSTISSIMI CÆSARIS IN COMITIIS IMPERIALIBUS PLENIPOTENTIARIUM.

Prudentia administrationis ipsius commendatur: reditus in Diœcesin exoptatur.

EUSTADIANIS Maxime Præsulum
Ornate MITRIS, qui domino pedo
Complexus Arcem monte nixam,
Mœnibus, aggeribúsque firmam,
Urbémque pronam vallibus infimis,
Velútque curvo poplite subditam
Tuis Tiaris advolutam
Propitio specularis ore:
Qui sumptuosâ mole sacros lares,
Pleno theatro magnificam Domum
Ex Suecicis nuper ruinis
Ære tuo, serie venustâ,

Spectas,

Spectas, remoto ſacrilego rogo
Exſuſcitatum grande Palatium,
Vultúque dignaris benigno,
Quos gremio geris in paterno,
Cur Patriarum gaudia turrium,
Dilata triſti deſtituis fugâ?
Urbs tota luget ſubſecuto
Mæſta ſitu, viduæque pinnæ
Illuſtris Arcis, tectáque Principem
Suum repoſcunt. Patria ſplendidis
Adſtans feneſtris arbitratur
Huc reducem, digitíſque longas
Metitur horas, tempora præcipit,
Moroſa votis ſidera verberat,
Precéſque fundit pertinaces.
Ipſe tuus ſinuoſus ALMO
Delapſus ultra dimidium viæ
Prodit modeſtis fluctibus obviam,
Piſcoſa fraternis maritans
Flumina Danubij procellis
Feſtinat amplo fonte RATISBONAM,
Offértque grati tergoris alveum,
Fugæque cauſam ſciſcitatus
Magna geri monumenta Regni
Audit benignis auribus, Imperj
Res ventilari: Concilium frequens
Eò coactum; deſtinatos
Huc Proceres, hominúmque florem,
Quibus præëſſet nomine CÆSARIS
Vir copioſo Numine perſpicax
MAR-

MARQUARDUS Atlas corruentis
Imperij, ſolidúmque fulcrum:
Iſthîc moratur jurgia Principum
Et diſſidentum pectora conſulum
Oraculis ſacris in unum
Colligit, unanimémque ſervat
Amore pacem pluribus in locis
Rimas agentem, fruſtáque fœderum
Hiulca comportans in unum
Connubium, patiente jungit
Mentes catenâ; ſemina litium
In flore mactat, principijs ſtudens
Gliſcentis ovi peſtilentem
Occupat in gremio furorem,
Viáque Pacis digerit omnia.
Sic occupatus pro Patriæ bono
Miſcet coronatis benignam
Officijs pietate Matrem
Cum glorioſi munere Judicis:
Perplexa rerum jurgia diſcutit
MAGNES voluntatum placente
Corda movet glaciata ſuadâ,
Eníque blandis pectora nutibus
Sciens, amicos, quos cupit, efficit,
Regníque confracti propinquam
Subſidio prohibet ruinam.
Hinc TE viatrix fama per omnia
Fert Regna Mundi, nec Sapientiæ
Minor triumpho, prædicaris
Imperij SALOMON, profundis
Videns

Videns acutùm consilijs Statum
Regni futurum. CÆSARIS es locò
Sacrámque Mitratus profano
Cum solio cumulas Tiaram,
Et inclytarum prœmia Frontium,
Manúsque sceptris induis, & Pedo,
Spirásque majestate morum
AMBROSIUM melioris Aulæ,
Aut copiosâ mente ATHANASIUM
Jam serus annis, jam nive plurimâ,
Plenúsque maturâ pruinâ
Sidereo venerandus ore:
Sed & peracto munere, quod geris,
Inter sereni fulgura nominis
Domum reversus gloriosâ
Canitie satiabis annos
Totúmque vives Nestora, plurimo
Vigore sospes, viribus integer
Plenúsque faustorum dierum
Empyriâ residebis Arce
Inter sacratas nobilis Infulas
Cum BORROMÆIS, cúmque SALESIIS,
Mitrámque victricem malorum
Promeritis sociabis Astris.

ODE XII.

ODE XIII.

AD SERENISSIMUM MAXIMILIANUM ELECTOREM BAVARIÆ S. R. I. ARCHIDAPIFERUM.

Gloria ipsius Bellica, & relata ex Rebellibus Bohemis luculenta ad Stellam Victoria prædicatur.

VIdere nuper signa volantia,
Et fluctuantem Sanguine MOLDAVUM
Datum est Bohemis, perfidóque
Vulnere purpureas procellas:
Cùm perduelli Marte rebellio,
Audáxque junctis viribus Hæresis
Citata Pragam conveniret
Sanguineo dirimenda campo
Pendente causâ. Sanguine mustei
Fulsere colles. judice ferreo
Decisa res est, & metallo
Vindice pars melior triumphans
Plexit nocentis perfidiæ caput,
Regem pusillo tempore scenicum:
Re prosperè gesta secundis
MAXIMUS ÆMILIANUS armis
Periclitatam Marte Bohemiam
Rursus quieto composuit statu,

Pro-

Procúmque detrusum parato
E solio vacuum coëgit
Jus abrogatâ cedere purpurâ.
Is dissipatis agminibus lacer
Campum reliquit, regiámque
Torque Periscelidem superbâ
Sacram Britanno prodidit Ordini,
Et persequenti cessit acinaci.
Utráque concursum phalange
Mente pari, imparibus lacertis,
Læváque castris Sorte rebellibus.
Ut militaris personuit tuba,
Factúmque collectæ palæstræ est
Auspicium, antevolans cohortes
Sibi dicatas BAVARICUS LEO
Furore flammans, & facie igneâ,
Minísque torvus bellicosis,
Sic calidâ ÆMILIANUS irâ
Suos vocavit: Causa favet, viri;
Felix patrono res agitur Polo.
Dies hic ultor perfidorum
Egregium pariet triumphum:
Nolite, quæso, pars melior Sagi,
Nolite fortes condere spiritus
Torpore vaginæ, & feroces
Pigritiâ cicurare mentes.
GERMANA virtus Martia deside
In arma nescit vadere brachio:
Negotiamur cum protervo
Milite. nos sceleris jubemur

Fractí-

Fractíque juris plectere fœdera:
Hic noster ensis debita sanciet
Tormenta. mucro perduelles
Hic animas Erebo litabit:
Sed prostituto in vulnera sanguine,
Commilitones, est opus, & viris:
Hæc hora pugnaces Leones
Postulat, impavidásque tygres:
Adeste. si cuî magnanimus cruor
Venas adurit, si cüi flos micat
Pulchri liquoris, glorioso
Consilio gladijs propinet,
Vitámque spernat pro Patria, & focis,
Aras fideli sanguine protegat
Exsibilatas inter arma
Hæretico truculenta ferro:
Præsente forsan Numine non satis
Cautum est in hostem? fidite milites,
Confœderatus vos Olympus,
Et Superi rediment Benigni.
Spectate Pragæ mænia perfido
Insessa nido. si steterit mihi
Fortuna campi, corrogatis
Nostra erit Urbs opulenta gazis,
Regníque prædas Marte tenebimus:
Hoc restat unum, ut pectore Martio,
Vestrísque dextris tam propinquas
Spes alacri pugione nixas
De corde tolli non patiamini,
Sed mente celsa fervidi in obvium

Hostem

Hostem profecti, sordidati
Per proprij pluviam cruoris
Non indecoram pergite, quà datur
Apertus armis nobilis impetus:
Perstate. primos insolentes
Frangite duritie morandi
Hostis furores; si tumidus fragor,
Primúsque Martis præterijt calor,
Durantibus vobis in æstu,
Vestra acies erit, & triumphus:
Non tanta res est, vincere perfidos,
Quos inquietos mens sibi conscia
Facit, timentésque vitam
Horribilem maculare morte:
Atrociorem, credite milites,
Verentur hostem, quem pavidis gerunt
Intus medullis: tam probrosus
Hic animi lepus est, ut expers
Latere toto corpore nesciat.
Professa res est: sons metuit necem.
Quem culpa mordet, teste nullo
Sponte timet, fugit hoste nullo:
Satis pavebunt, si Patientiâ
Pugnare solâ, me Duce, viderint,
Et stare firmâ vos catenâ,
Ordinibúsque adamante vinctis.
Parum est, scelestis si faveat locus,
Sitúsque collis: qui subit edita,
Accedit ad casum, & propinquam
Lubricus accelerat ruinam.

Pro

Pro quo faventes ſtant Superi, nihil
Curat minarum, nec metuit necem,
Confiſus inſonti Gradivo,
Et placitæ bonitate cauſæ
Solatus enſem plus animo ferit,
Quàm Marte ſtricto, plus clypeo valet,
Quo ſe tuetur, quàm Tyrannus
Cuſpide, quâ nocet innocenti.
Hæc elocutus fulgure ſævior
Expergefactis ad ſonitum tubæ
Viris in hoſtes arrogantes
Proripitur, ſitiénſque cædis
Toto movetur ſtrenuus impetu.
Paulùm reſiſtunt, donec idoneum
Nactus foramen diſſolutis
MAXIMUS ÆMILIANUS alis,
Læsóque nexu disijcit obvios,
Pugnare certos. fulmineis pilis
Luſum peritè. nulla paſſim
Glans ſterili repetita jactu eſt.
Senſim repulſis bellica frons viris
Nudata ceſſit. tum cumulus fugæ
Evaſit ingens proſtituto
Ordine, deteriore torque
Patente telis. Moldavus obſtitit
Tumens procellis, qui profugos marì
Excepit hoſtes, & liquenti
Perfidiam tumulavit irâ.
Plus, quàm novenûm funera millium
Proſtrata campis. Eſt tuus hic labor,

PRÆCELSE PRINCEPS, qui feroces
AUSTRIACIS AQUILIS Bohemos
Fractos priori reſtituis jugo,
Victúmque ANASSUM turbine Ruſtico
Incingis antiquis modeſtum
Litoribus, capulóque frœnas.
Teſtata res eſt. magnanimus Tibi
Inſedit ardor: non humilis furor
Pectus momordit, ſed viriles
Qualis amat ſtimulare mentes.
Hinc Te coronat Martis Adorea
Tot gloriarum læta viroribus.
Hinc Palma, vernantéſque Cedri
Frontem obeunt viridante Lauro,
Vultúmque lambunt Numine fertilem.
Vetuſta MAGNUM ſæcula TE canent
Geſtis ALEXANDRUM potenti
Imperio ſapienter armis.

ODE XIV.

AD NOBILEM ADOLESCENTEM GERASINUM CORNELIUM.

Ut primam juventutem maturè DEO, boniſque rebus impendat.

GEmma eſt, ſi Juvenis bonis
Se præbet docilem, difficilem malis;
Sina-

Si nactus ſocios probos,
Non hircos olidi gutturis eligit,
Suſpecto procul à grege
Si vitat ſtabuli feminei pecus,
Fatales Juvenum Capras,
Et quicquid minimũ ſpirat Adonidem.
Communis ſtylus eſt, ſequi
Semper deterius, nec ſolidas vias.
Ætas verna periculis
Palpatur gravibus, criminibus patet.
Flaveſcunt nitidæ comæ,
Aurato laquei vertice ſerici,
Candet pellis eburnea,
Frons plano rutilat marmore lubrica,
Depingit roſeas genas
Fucus, non ſolido tempore permanens,
Et vultu nimiùm potens
Aſpectu ſatagit ſcindere pectora,
Nictúque intima perforat.
Proh! quot viſa procis non oculo probo
Formæ pompa fugax nocet?
Quot natæ celebres inde tragœdiæ?
Hos impende dies DEO,
Autumnus Superis non placet ultimus,
Et feſſus ſenio Cycnus;
Veris primitias ſidera poſtulant
Offerri ſibi pro lytro.
Defráuda genium, fac citò, quod facis,
Et pronum in petulans iter
Injectis juvenem ſtringito vinculis.

Captivam trahe bestiam,
Ne fractâ caveâ proruat in forum.
In flore es tenero: cave;
Qualis nunc puer es, talis eris senex,
Si præludia viceris.
Arbor frugifera est nulla, nec inclyta,
Quæ non floruit antea.
Si flores dederis, quos cupimus, bonos,
Fructus non alios dabis,
Ingentíque ferax sufficies spei.

ODE XV.

AD S. FRANCISCUM XAVERIUM.

Quo die in Monte Martyrum propè Parisios cum reliquis Socijs prima Societatis JESV vota professus est.

STat innocentem passibus insequi
Agnum pudico vellere candidum.
Mens est Gigantæo eminere
Vertice. nil populare meta est.
Non mens inerti est serpere corpore,
Figíque terra, sed juvat altiùs
Spirare, terrestrésque fæces
Intrepido pede transilire.
Fortuna quicquid mobilis, aut manens
Æris reliquit, stat pede verrere;
Quic-

Quicquid dolosus nundinator
Mundus amat, stolidóque vulgo
Offert bonorum, stat celeri fuga
Hæreditates, & patrimonia,
Gazas avorum præterire,
Et cupidi furias peculJ.
Satis recepto Numine dives est,
Qui fœnerari sideribus volens,
Et gloriosâ plenus irâ
In scabiem pereuntis Orbis
Se se profanis exspolians jocis,
Nugísque rerum, nil retinet sibi.
Nihil tenendo possidentur
Omnia, fertiliore quæstu.
Stat auspicatis claudere turribus
Cautum pudorem, stringere vinculis
Periclitatum tot dolosis
Insidijs, laqueísque florem.
Quidcunque cerni vel malè lubricum est,
Vel turpe tangi, vel cupido sono
Irrîtat aures, fraudulento
Garrula quas tenet ore Siren,
Vitare mens est: nil meretricijs
Possit deinceps blanditijs Venus,
Lenocinans formæ venustas
Nil solidam labefactet arcem,
Aut prosequendi gloria stemmatis:
Mens dedicato est corpore tutior.
Transacta res est. proditores
Quicquid agant sine fronte sensus,

Contráque mussent, quicquid & obstrepat
Effeminatis Mundus amoribus,
Adhinniens ad crimen Orbis
Idalio furiatus igne.
Res delicata, & plena periculo est
Pudor veneno lubricus infici.
Frequenter incantata blandâ
Virginitas perijt Charybdi.
Tandem stat ausu libera maximo
Quidvis volendi jura relinquere.
Subesse præstat. consecrata
Irrequieta DEO voluntas
Jure abdicato promptior obsequi,
Suóque gaudens liberior jugo
Nescit dolores: temperatâ
Mitigat ardua servitute.
Hæc docta mors est, corpore non suo,
Nec mente posthàc vivere propriâ.
Mundo sepultus jam supremùm
Dormijt, arbitrióque lethi
Non invenusti perdidit omnia,
Velut cadaver, quod tumulum subit.
Qui se negavit transituris
Delicijs puerilis Orbis,
Vanísque pompis. credite mortuum,
Humana quem nil jurgia commovent,
Quisquis Parentes, & caduci
Exuvias tumulavit ævi.
Audi voventem: Pauper & indigus
Ero deinceps, nullius appetens.

Valete curæ, vóſque gazæ,
Spes avidi inſaturata Crœſi:
Caſtus perenni Virgine floridum
Servabo corpus, germine ſpiritum
Semper verecundo tuebor,
Et reliquos probitate ſenſus:
Perſtabo promptus, ſemper obediens,
Pendebo totus fixus ab altero,
Parebo, ſi nutus vocârit;
Nec proprij paraſita juris
Dein voluntas nacta, quod imperet,
Me detinebit, ſed celer ocyus
Rotabor ad vocem jubentis
Inſtar avis, volucríſque venti:
Seû me repertam nuper in Indiam,
Nutúſve toſtam mittat in Africam,
Ibo paratus. non recuſat
Imperium docilis voluntas:
Orbem repôſtum finibus ultimis,
Et ſeparatas æquoribus plagas
Pernix adibo, perditóſque
Reſtituam fidei Colonos.
Stabo macello proxima victima
Exæſtuantis prodiga ſanguinis,
Collúmque tortori propinans
Explicitum, jugulúmque tradam.
O ſi rubentem conſpiciam necem
Stillare apertis corporis oſtijs,
Fiámque Martyr! glorioſâ
Oceanum maculabo cæde.

Sic me voventem ter Deus adjuvet,
Sacróque fundet propoſito, fidem
Grandi Sacramento obligatam
Ut ſolida bonitate ſervem.
Hæc elocutus conflagrat intimis
Plenus favillis Ucalegon ſacer,
Sacro comeſtus devoratur
Igne Rubus, meliórque Phænix.
Hinc frons beatis ebria gratijs;
Hinc ille totus ſupra homines homo:
Hinc Sole vultus præparatus
Empyrio ſuper Aſtra ſurgit.
Et ecce! fuſcam jam famulo gerit
FRANCISCUS Atlas tergore ſarcinam,
Caliginosâ pelle Maurum,
Æthiopem ſtyge nigriorem,
Quem fonte ſacro (prodigium nivis!)
Domum remittit pectore candidum,
Corvúmque permutans Olore
Virgineâ renovat pruinâ.

ODE XVI.

Progreſſus Turcici non ſtatim impediti, & Machometes in ortu non ſtatim oppreſſus deplorantur.

O! quid ſceleſtis egimus otijs
Nos feriato Marte pigri Phryges,
Quòd

Quòd Christiani perduellem
Nominis, & ditionis hostem
Tantum secundis pergere cursibus
Passi, scelestam non superavimus
In flore pestem, nec pudendus
In gremio est jugulatus hostis?
Sopîsse cunas prolis oportuit,
Turbâsse nidum, matre puerperâ
Ovis malignis incubante,
Et tenerum generante fœtum.
Cur MACHOMETEM non socijs statim
Armis adorti in semine stravimus?
Cùm pullularet, strangulandus
In tenero fuerat racemo.
Succrevit anguis robore pertinax,
Turpésque cristas latiùs explicans
Amplexus est caudâ trisulcâ
Dimidium truculentus Orbem:
Victos sub arctis unguibus Hungaros,
Græcósque tractat. ventilat Armenos,
Persásque terret, Thracicísque
Porrigit Imperium sagittis
Ad usque Parthos. subsidiarijs
Gavisus armis Tartariam sibi
Fide maritans obligatâ,
Et volucres populi caballos
Semper paratos nactus ad omnia
Sceptrum propagat cædibus, & mari
Latrocinatus bellicosas
Italiæ licitatur Urbes,

Et delicatas diripit Insulas
Pingues Olivâ, frugibus inclytas.
Jam CANDIA tandem potitus
Dalmaticas meditatur arces.
Non liberali Turca satur Cypro,
Nec gloriosâ Militibus Rhodo
Propinquior Romæ futurus
Spe MELITAM cupidâ procatur,
Xanthíque ripas, & Siculi freti
Munita firmis oppida portubus.
Nil Adriæ fluctus moratus
Jam Veneto minitatur Isthmo.
Quis somniâsset, tempore tam brevi
Serpente Cancro, posse tot inclytas
Terras, peregrinúmque corpus
Marte, viris, opibúsque florens,
Et Regna totis tractibus infici?
Cur mox rapaces non stitimus manus,
Primásque prædas, & minutis
Principijs leviora furta?
Cur otiosi vidimus eminus
Micare fumum, nec famulas aquas
Porreximus flammæ domandæ
Armenijs, trepidísque Græcis?
Neglecta semper vis nocet, & novas
Eundo vires accipit impetus.
Scintilla contemptu fovetur,
Dum mediam populetur Urbem.
Qem plura longæ furta parant cruci,
Illi peritis non simul unguibus

Mens

Mens crevit audax, impudénſque
Ars piceo repetenda ludo:
Primùm minutis imminet arculis,
Clepítque nummos, atque crepundia,
Acúſque furatur puſillas,
Aut obolos, ſcabiem metalli,
Senſim crumenas repit ad abditas,
Seráſque jam non clavibus induit,
Sed perforatas militari
Vî, saturâ ſpoliat medullâ,
Statura donec creſcat idonea
Ligno trabali, debita ſtipiti.
Non una formando cruento
Hora fugax ſatis eſt Neronì.
Senſim Tyrannos moribus improbis
Crudelitatem proſperitas docet,
Usúſque ſceptri turbulenti.
Nemo repente Leo eſt, nec urſus.
Annoſa fruſtra corpora quercuum
Ferro trucidas, ſi ſolidâ morâ
Radice fixâ pertinaci
Fortibus invaluere fibris;
Primâ juventâ vertice flexili
Erat putandus difficilis rigor.
O quàm modeſtis flore primo
Turca premi valuiſſet armis
Necdum potenti fultus acinace,
Necdum Coronis cinctus, & enſibus!
At nunc cruentum Marte juncto
Quis prohibet Patriâ Tyrannum?

Si mens fuiſſet principio bona,
Sub Sole nullus Turca foret ſuper,
Sed noſtra ſpectaremus arma
Odryſiâ maculata cæde.
Matura quòd ſi jam foret Unio
Inter ſupremi Culminis Ordines,
Adhuc liceret ſanguiſugam
Proijcere in Lybicas arenas.

ODE XVII.

AD R. P. LAURENTIUM FORERUM SOCIETATIS JESU.

De relata varijs Controverſiarum Libris à varijs Hæreticis ac nugatoribus præclara Palma.

Arcem vertice pendulam,
Fundatámque petra non violabili,
Audaci ſcopuli ſitu
Molem turribus arduam
Libris præcipuis ſtrenuus exhibes.
Pendent terribili loco,
Et celſæ ſpeculæ tholo
Milleni clypei, qui procul æmulis
Lucem Solibus invident:
Nictat fulgor aheneus,

Et Phœbum tremula luce reverberat,
Vix finem radijs facit,
Pleno diluvio micat,
Ut se sidereis miscuit orbibus,
Et Cœli jubar imbibit.
Imperterrita casibus
Stat confisa suo culmine Veritas,
Et vestigia ponderat,
Hosti cedere nescia,
Quamvis fulmineos sentiat impetus.
Nil gens MACCHIAVELLICA
Terræ delitijs satur
Se volvens olidis fœcibus efficit:
Succumbit jaculo dolus,
Et septemplice vertice
Obtruncata jacet peste nocens Hydra,
Victrici premitur fide:
Nec salvam reperit fugam,
Quicquid nequitias Tartareas olet.
Frustra carnea Machina,
Immanémque uterum globans
Famosus populis omnibus Helluo,
Longo barbitio Caper
Immensis cyathis natans
Miles Teutonicis strenuus urceis
Pugnax cum socijs furit,
Exsuccáque scaber cute
CALVINUS referens mortis imaginem,
(Quamvis ingeniosior)
Exesis gracilis genis

Oppu-

Oppugnat ſtolidis mænia cornibus,
Forti Marte coërcitus
Eliſo cerebro jacet.
Nequicquam varius Lynce GIOPPIUS
Centum Pellio vulpium,
Verbo diſſimilis ſibi
Eructans animam ſemiputrem ſpuit,
Caſsáſque ingeminat minas,
Parco tinctus Apolline
Solo Stentoreo gutture nobilis,
Et raucâ juguli tubâ.
Necquicquam Rabulæ fremunt,
Et quicquid ſimilis fortè bituminis
Mucoſum eſt hominum genus.
Conſumpto capulus ſtylo,
Immanique rudes ſtrage jacent minæ,
Exhauſtæ pharetræ ſago.
Omnes Relligio necat.
Hoſtili redolet ſanguine luridus
Circus, vulneribus natans.
Stans ECCLESIA marmore
Adverſas acies vicit, & ordines
Proſtravit pavidos fides.
Tu Tu Malleus Hæreſum
Expertúſque Plato ſæcula neſcia,
Doctrinis renovas tuis.

ODE XVIII.

ODE XVIII.

Innocentium Martyrum ab Herode interfectorum clades ac felicitas.

SAlvete flores vere tenerrimo,
Formosa castæ germina purpuræ,
Salvete plantæ delicati
Sanguinis, ingenuíque Mori!
Vos penicillo Barbarus hostico
Pinxit Tyrannus: vos subitâ nece
Pruina decoxit, pudico
Cruda superveniens roseto.
In Innocentum ferreus Helluo
Irrupit ensis pignora corporum
Messoris instar (qui virentes
Exspoliat penetrante cultro
Agri capillos) perdidit aream,
Lectósque vastans Alcinoi thoros,
Vernantium cunas rosarum,
Et tenerum violavit hortum.
Perempta marcent parva cadavera,
Majora cæso corpore vulnera,
Ebur maritatum venusto
Emicat irradiante fuco.
Jacent tenello funere parvuli
Non indecoro murice sordidi,
Formosuli languent Puelli,
Corcula, deliciæque Matrum.

Non

Non facta ſurdis hoſtibus obvia
Cædem diremit Mater, & ubera
Exerta monſtrans, turgidóſque
Lacte ſinus potuit movere
Exaſperatas ſanguine Tigrides,
Non faſciarum mollia vincula
Flexere ferrum, quin adactâ
Irrueret petulans machærâ:
Sed nec parato ſæpe peculio
Emi ſinebat ſe furor improbus,
Ut puſionis temperato
Funera diſſimularet ictu.
Ingreſſus ipſos eſt uteri ſinus
Scrutator enſis. carcere viſcerum
Haſtis aperto curioſus
Mucro ſuo tacitam cubili
Prolem popoſcit. Mater & hinnulus
Uni litati victima militi,
Gallina cum pullo ſequaci
Unanimi periere falce.
Fumoſa longo ſtemmate limina,
Referta pompis atria pendulis
Mollire veſanos latrones
Principibus nequiere ceris:
Non ipſe multâ canitie pater,
Gravíque vultu vir venerabilis
Perſuaſit hoſtili furori
Incolumes ſibi pactus ædes,
Sparsíſque fruſtra ſtans genitrix comis
Diſerta largis præfica lacrymis
Fœcun-

Fœcunditatem conjugalem
Increpuit, thalamíque ramos.
Certare viſa eſt lactea ſanguini
Ætas, ſceleſtis trunca bipennibus,
Mixtóque Jordanis cruore
Ambiguas minio procellas,
Pigrúmque torſit ſegnior alveum
Luctâ impeditum, nec ſibi conſtitit;
Dolore fractus tinnientem
Ad ſcopulos laceravit urnam.
At næniarum ponite tædia
Matres Hebrææ. gaudia promite,
Fauſtóſque luſus, nec deinceps
Prole ſatos uteri tumores,
Novémque menſes, quos ſoboli ſtudens
Natura fixit, murmure plectite.
Fruſtra parentes non fuiſtis:
Filiolos genuiſtis Aſtris.
Quid ſi profundo Neſtore ſerior
Faviſſet ætas. fortè veneficos
Vidiſſet Orbis, vel latrones
Conſpicuâ titubare furcâ
Ludente vento: fortè nefarijs
Auſis fuiſſent pabula Tartari,
Qui nunc triumphant, floridáque
Morte ſacram retulere Palmam
Facti Supremi Regis Ephæbuli.
Hinc conſpicati cæruleæ domûs
Stellante tecto verminantem
Innocuo feriunt cachinno

Suum

Suum latronem, gaudia colligunt,
Victore Laurum vertice dividunt,
Omnésque saltant, ligneísque
Bucephali immemores superbis
Equis triumphos, & niveos dies
Cœleste vecti per Capitolium
Pulchris quadrigis eminentes
Æthereo celebrant theatro.
O Vos decoro vertice Crispulos,
Lauris virentes, crinibus aureos!
Narcissulos O delicatos,
Floridulos, alacrésque totos!
Vos sentientes carnificis quidem
Rebellis ensem, sed nihil, aut parum
Ictum dolentes, pullulantes
Morte brevi tumulâstis annos:
Celso sedetis vertice Principum,
Unáque cunas, castáque lintea
Eò tulistis, collocanda
ERIDANO, niveóque rivo.

ODE XIX.

ODE XIX.

AD LINUM DORCÆUM.

Hominem senem ac debilem ad seriam Pœnitentiam & vitæ emendationem hortatur.

LINE, peccâsti. novies adulter
Diceris passim, digitóque longo
Urbe monstraris, manifesta salsis
Fabula scurris:
Notus es Lippis, neque jam tribunal
Unicum restat, cui non potentum
Criminum fœdo reus adstitisti
Ulcere famæ.
Jam Tibi glabrum caput est senectâ,
Et comis ningit, cerebrum liquore
Plurimo stagnat, pluvióque pendet
Stiria naso.
Jam tibi nares equitat seniles
Opticâ duplex speculum fenestrâ,
Quod suâ lectam facit ampliorem
Fraude papyrum.
Tempus est vitæ melioris. ætas
Debilis suadet, valetudo fractis
Viribus sidens, stomachíque crudi
Fessa culina:

Febris

Febris alternas hyemes, & arctos
Convehens æstus, trepidóque motu
Ventilans costas monet, ut saluti
Prospiciatur.
Pulmo decoctus moriente folle
Clamat, ut tandem sapias. profanæ
Fabulæ lusum satis est. reversus
Seria tracta;
Cogita mortis spatium propinquæ,
Tempus incertum, nimio Vesevum
Igne sudantem, rigidíque strictam
Numinis iram;
Ipse cùm justus, graviore culpâ
Liber, excelso solio insidentis
Judicis sævum tremulo timebit
Pectore fulmen:
Quando ferali tuba per sepulcra
Garriens Lesso foveis repôstum
Colliget Mundum, veheménsque Censor
Finiet orbem:
Intimas cordis resera medullas.
Perditos Cœli repara favores.
Non amat mortem DEUS; innocentes
Nos cupit omnes.
Provide cœco statui. dolosum
Occupa mortis vigilantis ictum;
Certus es metæ, neque certus arcûs,
Quando sagittam
Ultimam nervo petulante mittet.
Cùm fores cædit taciturnus hospes
Osseo

Osseo pugno, procul hinc amicâ
Æde migrandum est.
LINE, convasa. nec enim priore
Ampliùs felix potiere vitâ.
Nî fatiscenti studeas saluti,
Alea jacta est.
Quo situ stipes cecidit, vetusti
Pertinax gestûs, populosa ramis
Membra servabit, nec humo jacentes
Surriget artus.
Suppetit tempus, Nemesísque lævam
Vindicem tardat cupidam ferire.
Pande secretos animi recessus,
Volve, revolve
Ver juventutis, puerúmque primis
Otijs actum, malè collocatam
Temporis gemmam, lepidísque nugis
Dilapidatum
Ignei succi juvenem, resume
Masculos annos, scelerum catenam
Texe, rumpendam gemitu, tenaces
Disijce spiras,
Dum foro prostant facili parandæ
Gratiæ merces, veniæque donum.
Nundinis clausis fugit expetitum
Tempus emendi.
Nulla tunc ægro dabitur facultas,
Quando inæqualem reperire venam
Nesciet toto Medicus lacerto
Tunc abeundum est.
ODE XX.

ODE XX.

DEO totam naturam ſubeſſe & obſequi, præter ſolum hominem, qui liberi arbitrij abuſu monenti obſiſtit.

DEI Potentis facta pediſſequa
Natura ſervit. ſub domino jugo
Ancilla curvatur. jubentis
Nutibus officioſa gaudet:
Hæc celſa flectit culmina montium
Rerum Satori, blandáque germina
Radice firmans, alta recto
Sidera dat meditanda vultu
Florum cohorti. Supplice candida
Cœlos adorant lilia vertice,
Imbrémque mendicant ſalubrem:
Tum pluvio ſaturata rore
Soli propinant ſtemmata: gratias
Agunt alenti. Hæc marmora cærulis
Diſtincta venis glorioſas
In ſtatuas cavat, & columnas
Enucleatas pluribus ictibus,
Pleníſque Circos plauſibus imbuens
Rerum potenti gratulatur
Imperium famulantis Orbis:
Ipſa obſequentem nutibus Æolum,
Euróſque fungi munere præcipit,
Et eru-

Et eruditis flare buccis
Inſtruit, unanimíque labro;
Si Numen oris poſtulet halitum,
Adſunt citati, naufragium cient;
Repente rurſus conticeſcunt,
Et furias, ſtomachúmque ponunt.
Ranæ Canopi, textor Araneus,
Raucæ cicadæ, cúmque ape cælibe
Adſunt locuſtæ: ſibilante
Muſca DEO vaga congregatur,
Regúmque menſas involat impigra,
Ultrice in Aulas uſa proboſcide,
Mappáſque conſpurcans profusâ
Illuvie vitiat palatum:
Sed &, JACOBO ſupplice, NISIBIN
Ut è Tyranni faucibus eruat,
Adverſus immanem SAPOREM
Veſpam iterum, culicéſque mittet,
Agmen puſillis militibus nigrum.
Fungentur ipſi munere ſtrenuè,
Equóſque, mortaléſque diris
Conficient acubus crabrones
Fixo moleſti dentis aculeo,
Proſtante paſſim corpore vulneri.
Sternace ſe geſtu cameli
Circumagent rabie doloris,
Regíque poſthàc difficiles equi
Tumultuati partibus omnibus
Capiſtra rumpent, & rebelli
Excutient equites furore.

Eviſce-

Eviſceratâ ſindone viſcerum
Se totam Arachne prodiget in colum;
Ut cauta FELICEM tapete
Artifici, latebráque ſervet
Extemporali provida pallio;
Labore miro nobilis Atropos
Suſpendet orbes fraudulentis
E laqueis opifex amica.
Hæc impotentes præ rabie famis
Mordere ſuetas conciliat feras,
Rictúſque compeſcit voraces,
Et cupidos remorata dentes
Claudit baráthrum, ſi jubeat DEUS:
Si vindicandus ſtet DANIEL molâ
Intactus Heros belluinâ,
Ingluviem rediment Leones,
Siſténtque orexin carne ſuperſtite.
Hæc ipſa promptum reprimit impetum
Ignémque ſuffocat rapacem,
Pacificam jubet eſſe flammam,
Ut AZARIAS, & MISAEL comes,
Cêu delibuti rore, canant melos,
Minace ſuccenſo camino
Horribilem glomerante fumum.
Hæc una ripis flumina continet,
Extorris ultra litora Mincius,
Verníſque ditatus rapinis
Ne Rhodanus populetur agros.
Lyco rapaci Scipio PONTICUS
Suffecit, ut ſe margine clauderet,
Nec

Nec terminis ſe conſtitutis
Proriperet petulans tyrannus.
Quin ipſa ventis ſint licet æquora
Sæpe inquietis turgida, litorum
Cratere terreſtri recepta
Haud poſitum violant aſylum.
In Orbe quicquid ſub gemina Poli
Sphæra eſt, vocantem proſequitur DEUM
Suőpte nutu, ſponte obedit.
Solus homo toties rebellis
Exorbitanti deditus otio
Hero reſiſtit, nec patitur jugum,
Frœníque contemptor flagellum
Barbarus excutit, & capiſtrum,
Cêu perforato carcere quæ Tigris
Emiſſa frendet libera compitis,
Nec novit altoris priorem
Ampliùs irrequieta vocem,
Nec ſe Magiſtro præbet idoneam,
Ut antè, toto ſed furit impetu
In obvios quoſvis, & ore,
Quà data porta, ruit cruento.

ODE XXI.

AD S. GALLICANUM CLARISSIMUM BELLI DUCEM, GLORIOSISSIMUM CHRISTI MARTYREM IN PERSECUTIONE JULIANI APOSTATAE PRO FIDE OCCISUM, PATRONUM SUUM AC TUTELAREM DIUUM AMANTISSIMUM.

HIc Martiarum gloria mentium,
Et militaris prodigium viri,
Invictus hic est GALLICANUS,
Delicium, columénque Mundi.
Hic Purpuratis pulcher honoribus
Stat orbe major, quem pede subditum
Victore, CHRISTO subjugatum
Continuâ religans catenâ
Laborioso mancipium potens
Duxit triumpho. fulminis impetu
Invectus in PERSAS feroci
Militiâ, faciéque torvâ
Vbique fausto Marte supervolans
Obstante nullo fudit inertia
Effeminatorum latronum
Corpora, barbariémque mollem,
Et copioso castra satellite
Messore passim stravit acinace,

Terrâm-

Terrámque ſtipatam tyrannis
Difficili vacuavit hoſte,
Et ſeminatos, cêu cinifes, SCYTHAS,
Levéſque THRACAS finibus expulit.
Orco propinatum cruorem
Sacrilegum, ſpuriámque tabem
Gentis rebellis, ceu maris obvias
Effudit undas nil numerum timens
Disjecit hoſtiles phalanges,
Et medios ſecuit Gelonos.
At tam potentem prætulit Angelus
Strategus enſem, qui radijs vibrans
Flammante turbavit mucrone
Agmina, terribiléſque muros,
Vinctóſque firmis nexibus ordines.
Confœderato milite Cœlites
Bellare viſi GALLICANI
Sub gladio, validíſque ſignis,
Qui militantes in niveis equis
Compendioſâ præcipites viâ
Undante graſſati furore
Per remoras, mediáſque mortes,
Per corruentum valla cadaverum
Auxere Palmas. integra gens propè
Deleta funeſto reperta eſt
Exanimis jacuiſſe campo.
Huc uſque pugnas vidimus arduas,
Scythæ nefandi dedecus, integros
Exercitus fuſos, & hoſtes
Innumeros, populóſque cœſos.

Majora reſtant prœlia ſtrenuis
Certanda dextris. pectore maſculo
Herois invicti palæſtra
Indiget, intrepidóque Marte.
Stat GALLICANUS Dux adamantinus,
Tenáxque CHRISTI, marmore fortior,
Stat ipſe contra JULIANUM
Indocilis variare vultum.
Stat militaris petra: quid imperas
Inſane Cæſar? reſpuit aurea
Promiſſa fortis GALLICANUS,
Nec placido ſinuatur ære,
Aut dignitatum flectitur ambitu.
Nil vana prodeſt pollicitatio,
Pecuniæ lenocinantis
Nil cumulo rutilante ſplendor.
Mortem minaris transfuga? nil novum
Id GALLICANO eſt. miles amat mori.
Huc vota tendunt; vulneratus
Excipiet flagra cum cachinno.
Diram minaris pauperiem Duci,
Fiſcóque honeſtum diripies virum?
Honore ſummo comparatas
Divitias, reditúſque carpes?
Bene eſt: avaræ quæ violentiæ, aut
Subſunt rapinæ, non ſua credidit.
Dux ipſe nôrit providere
De ſpolijs ſibi, déque prædis:
Si JULIANUM vincere non volet,
Certè nefandum vincet Apoſtatam.

Vincet

Vincet Rebellem. perduelle
    Ipſe caput trahet in triumphum.
At ira bullit Cæſaris ignea.
Idola ferri præcipit. & Jovi
    Curvetur, inquit, GALLICANUS;
        Sin: merito cadat, ictus enſe.
Nil pertinacem propoſiti virum
Effulgurantis terruit æmulo
    Stans Sole mucronis poteſtas
        Nudâ acie, tremuláque luce;
Quin conſtitutum ſi tibi, Cæſar, eſt,
(Princeps reponit) non meritum feri:
    Amore CHRISTI præparatum
        En caput, intrepidúmque collum!
Prædare vitam, non rapies fidem;
Corpus trucida, non animum feres.
    Aufer facultates, & aurum,
        Omne tuum eſt: mihi me relinque.
Hæc elocutus protulit inclytâ
Cervice nixum Dux alacer caput,
    Perinde cêu veſtem paratus
        Ponere pro pietate vitam.

ODE XXII.

AD BERNARDINUM VORENGIUM AMICUM SUUM.

Jocus in Staturam ipſius puſillam & ſolatium.

QUid fles, VORENGI, quòd modicis tibi
Natura membris corpora finxerit,
Quòd ipſa nugax architecta
Hoſpitium fabricans puſillum
A promovenda deſtiterit ſtrue,
Locóque vaſti tarda palatij
Extruxerit parvum mapale,
Atque humili ſtatuâ penates.
Jactura nulla eſt. plus alijs pigra
De mole carnis, plus tibi ſpiritûs
Natura prompſit liberalis,
Ire animo dedit eminente.
Quamvis puſillis ſtes pedibus minor,
Et longiorem vix digitum brevi
Æquare ſtaturâ feraris
Exiguâ genitrice natus,
Contemne riſus prætereuntium,
Salsóſque ſcurras voce ZACHAEULUM
Identidem te clamitantes.
Ingenium puerile ſperne:

Si te,

Si te, VORENGI, ex arbore proxima
Duûm librarum deciduum pyrum
Vocet cavillator molestus,
Aut salium in viridi per agros
Fœno locustam gutture stridulum,
Subsiste ridens. vince jocum joco.
Ictum retorque. ponderosos
Exagita salibus colossos,
Vastósque grandi vertice mugiles,
Et prominentem ride uteri globum.
Scintillulam si te tremente
Igniculo trepidè micantem
Nanóque stellam lumine præditam
Quis nominârit, dicta reverbera:
Vocabis intonsum Cometam,
Sulphureæ ditionis Ætnam:
Si Pumilonem, si SALAPUSIUM,
Frustúmque carnis, vel tenuem scobem,
Granúmque arenæ nominabunt,
Aut minimum globulum ZENONIS;
Ride capaces, ut scopulos, viros,
Turrésque vasto pegmate carneas:
Inflata tu contrà LUGONIS
Puncta voca, tumidásque bullas.
Si te sciurum corpore mimico,
Parvúmque grillum, si modicâ nuce
Dicant minorem, ludibundum
Si culicem, saliénsque punctum;
Pari monetâ tu Dromedarios
Apella, & instar montis equos voca,

Ingentibus gibbis onuſtos
Corpore terrifico Camelos,
Et cuſpidatos Rhinocerotico
Naſo Gigantes, Monſtráque Barbaris
Compacta membris nominabis
Inſolitis truculenta formis,
Longóque Manes corpore luridos,
Fictáſque celſo ſtipite perticas,
Umbras oberrantes figurâ
Terribili, graciléſque larvas.
Pergunt jocari: vix medij viri
Te portionem, vix prodromum maris,
Fungúmque vix terrâ eminentem
Te vocitant, hominíſque micam.
Fuiſſe talis ſcribitur ATTILA,
Monſtrum globoſo vertice nobile,
Homóque tantùm pectoralis,
Et manibus, pedibúſque mancus.
Tandem, VORENGI, conſpicor ollulam
Bullire craſſo ſulphure parvulam,
Inſtárque felis ſibilantem,
Cùm propriâ religata cauda eſt:
Cerno peroſum ſcommata maſculum.
Calet cerébrum, lingua parat minas,
Arcúmque tendit. væ Giganti
ENCELADO, tumidóque PHORBAE!
Væ! ſi dicaci dente ferociat
Hyæna mordax. muſculus Indicos
Terrere Barros, & Leones
Armenios ſolet imbecillo

Clamo-

Clamore Gallus. jam volitant ſales,
Acuta morſu verba reciproco:
Jam vapulat princeps Gigantum
Immodico ACROCORINTHUS ore.
Audis? obeſo ventre cucurbitas
Apellat ipſos pumilo, belluas
Pingui macello deſtinatas,
BUCEPHALOS, animáſque curvas:
Dira imprecatur tela jocantibus,
Ignes triſulcos fulminei Jovis
Pygmæulus ſpirans minarum,
Turribus inſolitam ruinam,
Terræque motus optat, & obvijs
Impactionem verticis angulis,
Quando lacunar, vel penates
Introëunt, humilémque portam:
Venationi farta cadavera, &
Prædam Moloſſis deſtinat hos apros
Rictu ſalutantes ſupino
Vile ſolum, putridámque terram:
Ad hæc ſeveri carnificis manum,
Strictúmque ferrum, quo minuat caput
LONGURIONIS, quo Gigantis
Pyramidem metat inſolentem.
Quid eſt, VORENGI? cur ſtomachũ moves,
Irámque verſas inſatiabilem,
Domíque nutritum furorem
Sub placido haud ſinis eſſe tecto?
Juvat protervos ſpernere Zoilos,
Salsóſque Momos. deſpice FRIGIDOS:

Novere contempti ſilere,
Et tumidas cicurare buccas,
Si nil reponis, clámque ſilentio,
Inſtárque ſurdi tela nocentia,
Et lubrico ſannas lepore
Diſſimulas, aciémque ſtrictam
Quandóque laudas fertilis IngenJ,
Latrare ceſſant horribiles canes,
Cùm nemo ſe pergit movere,
Si ſedeat tacitus viator,
Nec inquieto prætereat gradu;
At ludibundo ſi baculo ſitum
Fingat rebellem, séque longâ
Difficilem tueatur haſtâ,
Sparsíſque ſaxis grandinet, omnia
Sonant latratu, vulneribus patet
Ferox ſugillator ferinis,
Et laceris redit inde braccis.
Sede, VORENGI. non tuus error eſt.
Nos ipſe fecit, qui facit omnia.
Peccata ſtaturæ favore
Sola reor, veniáque digna.

ODE XXIII.

ODE XXIII.

D. IGNATIUS LOJOLA.

EX ASPECTU FLORIS AD DEUM ASCENDIT.

LÆtus prata videt luxuriantia
 LOJOLA, florum vertices,
Formoſas violas, ſanguineas roſas,
 Cinctas maritis vepribus,
Et quæ lacte natant virgine Lilia,
 Blando liguſtra frigore.
Quàm diverſa Tibi eſt, O homo, quiſquis es,
 Hortis eundi ſemita?
Oblectas oculos, naribus uteris,
 Frontémque ſuccis illinis,
Silvas exſpolias, carpis idonea
 Prædator ungue germina,
Blandiris genio plenus odoribus,
 Nil de Magiſtro cogitas,
Qui campos nitidis veſtit amictibus,
 Et pulchra criſpat gramina:
Qui ſpinas comites floribus aſſuens
 Adjungit ancillas Roſis:
Picturam Tulipæ, quæ variat cutem
 Vibice multâ ſauciam,
Elimata cavi pocula Lilij,
 Fructúſque ſuccis ebrios,

Et quæ poma novis arboribus rubent
Mentita vultu purpuram,
Naturæ attribuis, cêu ſine Præſide
Hanc ſola poſſit fingere:
Hæc caſu potiùs creſcere judicas,
Quàm conſcij juſſu DEI.
At LOJOLA tuam plectit inertiam,
Hortos obit, ſed ſobrius,
Miratur virides Alcinoi ſcholas,
Et parcit ungue lædere;
Caſtigans oculos naribus abſtinet,
Cum flore Cœlum obambulat;
Laudat delicias, artificem manum
Docti Magiſtri prædicat.
O quàm mirificis ſenſibus affluit,
Et gratulatur Numini
Hortorum Domino ſerica gramina
Campi tapetes floridos?
Interpuncta vagis germina venulis,
Roſáſque Maîi filias
Infantes violas, Veris Ephæbulas
Vaginâ adhuc reconditas
Miratur ſolidæ Vir Sapientiæ,
Calthâſque, Floræ corcula,
Naturæ gremium fertile liberis
Ad Aſtra tollit laudibus,
Factorem celebrat, qui fovet omnia,
Quæcunque per terram virent:
Hortos Elyſios ſpe cupidâ ſibi
Decerpit ante funera,

Conten-

Contentus minimè floribus, integras
Sibi reſervat arbores.

ODE XXIV.

D. FRANCISCO XAVERIO IN INDIAS ABEUNTI

PROPEMPTICON.

DIſceſſum ad Indos XAVERIUS parat,
Orbémque velox cogitat alterum.
Adeſte venti, contumaces
Mittite pacifici fragores.
Sternatur æquor marmore vitreo,
Euris quietum, nec quatiat tubam
Auſter procellis tuſſientem,
Nec Zephyrus, genitor vaporum
Ructus frequentet. pacta ſilentia
Stent lege certa. dormiat alveus,
Laxata decurſu modeſto
Unda probo fluat acta vento;
Stent fornicatis æquora mœnibus,
Exſuſcitatâ vitrea porticu;
Memórque promiſſi favoris
Oceanus placido ſopore
Componat undas. ne liquidi Canes,
(Infauſta totis nomina claſſibus)
Ne præparato vos baráthro
Navifragas aperite fauces,

Regna-

Regnata sævo Cærula NEREO
Fastu quiescant composito freta,
Et monstra latè bellicosi
Oceani sedeant profundo,
Nec Insularum se specie ferant,
Aut vasta membris corpora porrigat
Gens tarda moliri per undas
Squammea pegmata montis instar.
Ne fraudulento dissimulet vado
MALEA rupes. SCYLLA volubilem
Compescat arcum, ne Meandri
Multiplici coëunte torque
Periculoso gurgite confluant,
Gyróque ludant insatiabili:
Ne spectra ferali figurâ
Impediant iter auspicatum:
Ne tu flagrantes Arbiter æquorum,
Vibra sagittas, néve fugacibus
Fulgetra cincinnata flammis,
Aut pavidas sine luce noctes,
Spissóve Cœlo nubila collige,
Diésque adempto lumine tetricos
Sordente perplexos amictu,
Aut pluvias cumula tenebras.
Quin, si requirat dura necessitas,
Mihi es precandus DIVE potens maris,
Collegam ut accendas Columnam
XAVERIO, comitémque nubem,
Ducem viarum ad litora Barbara,
Quæ verberatum sidereo mare

Fulgo-

Fulgore conſervet ſerenum,
Et dubias retegat Charybdes.
Succurre NUMEN! quid video miſer?
Jam tranſtra nutant. jam mutilæ ruit
Compago navis vulnerata.
Jam pelago tabulæ fatiſcunt.
Quis ille ſtridor? quis ſtrepitus maris?
Quanti tumultus? æquora concidunt,
Montéſque divulſi ruinâ
In medias abeunt procellas.
Diſcerpta toto carbaſa pallio,
Suóque pinus funere perfidas
Infamat undas, & doloſas
Arguit exitio Charybdes.
Offenſa ventis æquora bulliunt,
Nubes ſevero torva volumine
Auget timorem. fulminatis
Nox recubat violenta petris:
Lux victa nimbo deſijt imbribus
Palam videri. naufragus occidit
Sol ante tempus, cùm liquoris
Heſperij tumulum viator
Nondum attigiſſet limite debito.
Actum eſt carinâ. jam PATER occidit.
Cerno rotatum per procellas,
Ut liquidam bibat ipſe mortem,
At non aberro. rurſus in edito
Navis reſultans incolumis loco
Tandem enatavit. vivit Heros!
Vivit io! meliore ſenſim

Riden-

Ridente Cœlo, propitijs Notis
Jam non aperto Marte furentibus.
Absumpta navis jam propinquo
Eminuit tumulo superstes.
Præsente liber XAVERIUS metu
Ridet jocosi murmura NEREI,
Et inquieto stans tumore
Altior indomitum tumultum.
Quassemur, inquit, naufragio sumus
Æquè parati, quàm placido freto;
Humíne, nil refert, maríve
Computream, pereámve terris,
An esca fiam piscibus, aut feris;
Seu Continenti, seu veniat scaphâ
Spumante fatum. præparati
Excipimus cupidam ferire,
Seu nauta mors sit flumine, seu latro
Terras pererret. stamus in orbita;
Si postulabor, ventitanti
Obvius egrediar Tyranno:
Volvatur undâ navis inutilis,
Scissísque velis saucia stet ratis,
Vertiginoso dissolutus
Turbine circumeat phaselus!
Infracta nobis pectora sunt domi
Experta Syrtes, fulgura, fulmina.
Imbellium est quiddam timere.
Nil animo grave comparato:
Scintillet aër missilibus flagris,
Boéntque raucâ voce tonitrua,

Fra-

Fragore confundantur arces
Sidereæ, petulánsque Tellus:
Nocere possunt, si DEUS annuat
Nihílque possunt, si veniam neget;
Nocere non possunt volenti,
Sed timidum feriunt ruinæ.
Hæc prolocutus vela dicacibus
Insessa ventis distinet in sinum,
Altóque transvectus remotam
Insequitur sitiens salutem.

ODE XXV.

AD AMANTISSIMOS PATRES ET FRATRES SOCIETATIS JESU.

Religiosum ejusdem **SOCIETATIS** *Magnum esse debere in gloria* **DEI** *juxta nomen suum.*

MAgnũ aliquid vulgò reputatur, nomen ha-
Insigne CAJ CÆSARIS, (bere
Fulmincíve ducis.
Quisquis POMPEJ, aut STILICONIS nomi-
Hos æmulandos suscipit, (ne gaudet,
Militiámque subit,
Se trabeâ cingit, mercatur sanguine famam,
Edítque facta Martia,
Herculis instar agit.

Ridente Cœlo, propitijs Notis
Jam non aperto Marte furentibus.
 Abſumpta navis jam propinquo
  Eminuit tumulo ſuperſtes.
Præſente liber XAVERIUS metu
Ridet jocoſi murmura NEREI,
 Et inquieto ſtans tumore
  Altior indomitum tumultum.
Quaſſemur, inquit, naufragio ſumus
Æquè parati, quàm placido freto;
 Humíne, nil refert, maríve
  Computream, pereámve terris,
An eſca fiam piſcibus, aut feris;
Seu Continenti, ſeu veniat ſcaphâ
 Spumante fatum. præparati
  Excipimus cupidam ferire,
Seu nauta mors ſit flumine, ſeu latro
Terras pererret. ſtamus in orbita;
 Si poſtulabor, ventitanti
  Obvius egrediar Tyranno:
Volvatur undâ navis inutilis,
Sciſsíſque velis ſaucia ſtet ratis,
 Vertiginoſo diſſolutus
  Turbine circumeat phaſelus!
Infracta nobis pectora ſunt domi
[illegible] Syrtes, fulgura, fulmina.
 [illegible] timere

Fragore confundantur arces
Sidereæ, petulánsque Tellus:
Nocere possunt, si DEUS annuat
Nihílque possunt, si veniam neget;
Nocere non possunt volenti,
Sed timidum feriunt ruinæ.
Hæc prolocutus vela dicacibus
Insessa ventis distinet in sinum,
Altóque transvectus remotam
Insequitur sitiens salutem.

ODE XXV.

AD AMANTISSIMOS PATRES ET FRATRES SOCIETATIS JESU.

Religiosum ejusdem SOCIETATIS Magnum esse debere in gloria DEI juxta nomen suum.

MAgnũ aliquid vulgò reputatur, nomen ha-
Insigne CAJ CÆSARIS, (bere
Fulmincíve ducis.
Quisquis POMPEJ, aut STILICONIS nomi-
Hos æmulandos suscipit, (nega-
Militiámque...

Pullus ALEXANDRI Cilicos conſcendit
Reptata damis culmina, (Olympos,
Staréque neſcit iners,
Proſequitur virides per plana, per invia Lau-
Junctóſque montes montibus (ros
Tranſilit intrepidus.
Æmulus HANNIBALIS mordace domabit
Rupes terébræ neſcias, (aceto
Trãſadigétq; petras. (METELLOS,
Qui CONSTANTINOS ſequitur, magnóſq;
Is provocat MAXENTIOS,
LICINIOSque truces.
Efficit hoc nomen, quãvis ſub Marte profano,
Vel CAROLI, vel TILLIJ,
Alteriúſve Ducis,
Quantò magis, qui ſe JESU de nomine dici
Scit, ad theatra natus eſt
Ardua, Vírque virûm eſt?
Quantò magis medios ſe ſe librabit in hoſtes,
Amore pulchri ſanguinis,
Magnificæque necis?
Dividet haſtatas ſegetes, ſordénſque cruore
Non indecoro, mœnia
Præcipitabit humi,
Venales reſerans venas, & corporis artus

Errones quærens animos, occludet Averni
Aperta culpis oſtia,
Impediétque Stygem.
Macti ergo o Socij! tantũ perpẽdite NOMEN,
Vexilla ſacri fœderis,
Magnanimúmque Ducem:
Illius exemplo Mundum, poſitáſque maligno
Terras ſceleſtas otio
Eripite exitio,
Suſtentate animas ad Tartara vaſta ruentes,
Plenas procellas ſiſtite,
Continuúmque mare.

ODE XXVI.

Tarda hominum Scientia, Virtus ac brevis vita, univerſa Vanitas deploratur.

HEu! feriatos quàm trahimus dies!
Quam pigritanti fonte ſcientiam
Haurimus, & quàm lenta ſero
Lux oritur vigilata Phœbo?
Laborioſo robore debitum
Enucleari perficimus virum,

Lactata Phœbo, pabulatus
Rore Crocus, lacrymíſque Cœli:
Confecta paucis Lilia menſibus
Faſtigiato candida ſtant ſcypho:
Ardétque feſtino pudore
Dulce Roſæ juvenilis oſtrum,
Cœlóque monſtrat primitias ſui
Statim coloris Vere ruberrimo:
Paucíſque poſt ortum diebus
Capra ſalit, vitulúſque geſtit:
Defuncta nido læta breviſſimo
Alauda pennas ventilat, & volat,
Solémque adultum vix juventam
Egrediens Aquila oſculatur
Hæres dierum, luminis incola
Sorbet paterni ſpicula ſideris,
Pronáſque dedignata valles
Æthereis ſpatiatur oris.
Lentiſſimorum Rex animalium
Homo vocetur ſegnior omnibus:
Paſſus avaros ponderare
Novit iners, modicúmque greſſum:
Luxus, juventæ prædo domeſticus,
Primæva perdit tempora, ceu nocens
Pruina lactentem farinam
Decoquit, ingenuáſque caſto
In flore ſpicas ſtrangulat, & virens
Elidit ævum vindice frigore,
Siccátque frumenti medullam

At, fortè longis si qua laboribus
Obtenta Virtus, sive scientia est,
Repente rursus consenescit
Dos fragilis, vitiísque cedit.
Matura si quæ gratia canuit,
Morsu senectæ flaccida decidit,
Afflata vento pestilenti
Emoritur, subitísque marcet
Percussa fatis. occidit ocyus,
Mortale quicquid: tempore ceu dies
Morosus hiberno soporem
Excutit, & thalamum marinum
Serò relinquit; móxque ubi splenduit
Horis pusillis, accelerat fugam,
Velóxque rursus somnolentâ
Ingreditur pelagus lucernâ.
Momenta res sunt. nomine temporis
Indigna Mundi corpora censeo.
Anni supersunt longiores
Orbe alio, meliórque Vita.

ODE XXVII.

AD NOBILEM DOMINUM MARCELLINUM FALCONEM.

De insigni in passiones ac cupiditates proprias dominio & imperio.

ROmanas Aquilas, FALCO, licet regas
Terrarum dominans herus
Augusto solio tumens,
Quamvis purpureis plenus honoribus
Rex in compita prodeas
Cultus poplite supplicum,
Quamvis in populos imperium feras
Regnis præpositus tribus
Celso conspicuus throno,
Quamvis multicolor grex famulantium
Te circumfluat agmine,
Et servum obtineas pecus,
Ac multos numeres ære satellites,
Pluresque undique subditi
Curvo circumeant genu:
Quamvis expedias castra potentia,
Stetque exercitus integer
Visis nutibus obsequens:
Quamvis in trabea purpurea nitens

Nil grande, aut ſolidum credito præſtitum.
Rex eſt, qui ſibi præſidens
Primis motibus imperat.
Qui ſternit Veneris tela domeſticæ,
Qui fœtam tumidis minis
Iram ſtrangulat, & faces.
Rex eſt, quo melior non datur uſpiam;
Qui vincit proprium ſtatum,
Naturæ indomitam feram;
Qui frœnat celerem providus indolem,
Ut primam choleram premat,
Et procraſtinet impetus.
Jam cautum Dominæ eſt. Corpus obediat;
Regnatrici Animæ Caro.
Pars ſerva imperium ferat.
Hæres eſt Solij ſpiritus eminens
Cœli portio nobilis.
Scit ſe mancipium lutum:
Ancillæ peragant vilia munia,
Non ſordes Dominam decent.
Servi ſint dociles heris.
Sub Sole hoc thronus eſt nullibi caſtior,
Quàm qui jure rebellibus
Strictis ſenſibus imperat.

ODE XXVIII.

AD S. FRANCISCUM BORGIAM EX DUCE GANDIÆ SOCIETATIS JESU RELIGIOSUM, AC GENERALEM III.

Statum ejus Religiosum post superatas sæculi procellas ARCÆ DILUVIJ similem esse, præsertim ubi Sanctis ritè adscriptus FRANCISCUS in supremo honorum vertice (velut Arca in Armeniæ montibus) à Sede Apostolica nuper constitutus est.

FRANCISCE, quo non est generosior
Sub Sole Princeps, nobilior tuo
Sceptro relicto, quàm retento,
Nobilior Duce mancipato,
Vides, ut alto culmine marmora,
Et ponderoso corpore stent petræ,
Ausæque cognatis adultam
Sideribus sociare frontem
Ingente rupes fornice pendeant?
Vides superbos ARMENIAE tholos
Acuminato se theatro

Hîc post resorptas Oceani minas,
Et absolutas naufragijs aquas,
Hîc meta servati NOACHI,
Hîc requies fuit, atque portus:
Hîc prora celsis edita montibus
Sonti superstes constitit æquori;
His turribus vastas Charybdes
Despicit, irriguásque terras
Infra relictas, nec volet ampliùs
Sulcare fluctus, quíque humili fluunt
Rivi Profundo, vel nocentes
Diluvio tumido procellas,
Sed urbis instar, quæ sedet arduo
Impôsta colli, fulgurat eminus
Nitente tecto, subditásque
Nauseat ambitiosa valles.
Non hæc NOËMI est Arca: sed infimo
Quæ celsa Mundo vita super natat
Sancita votis, stans procellis
Libera, naufragiíque victrix,
Nil vorticosis læsa periculis,
Seducta nullis vita latronibus,
Ignara depresso morari
Vita loco statione montes
Prensat supremos. Scilicet eminet
Mortale supra magnanimus Status,
Terrásque calcat nauseatas,
Stat pede celsior Orbe toto.
Hinc concitatis fervidus ignibus
[illegible]

Et nobilis fumi, decoro
Qui veterum facies avorum
Sopore lambit, præcipiti ruis
Supra caducas impete glorias,
Unáque in arcas confluentem
Ære negas locuplete posthàc
Sitire Gangem. nil Tibi cum situ,
Qui serpit infra: montibus editas
Metaris alpes, Orbe toto,
Et titulis satur abrogatis:
Inde arbitraris vulneris incapax
Orbis ruinas, regnáque mutuis
Collisa bellis, & vetusta
Fata Ducum, interitúsque Regum,
Magníque spectas prœlia CAROLI,
Opésque temnis, donáque GANDIAE,
Ærarium Regum, Midæque
Divitias, Chymicúmque tactum;
Vili per Urbem progrederis togâ,
Quem nuper ingens turba satellitum,
Currúsque stipabant, & aurum
Mandere sub phaleris jocosi
Seni vehebant ordine Cyllari,
Docti peritis ludere passibus.
Jam proprio nolens potiri
Arbitrio, dominóque jure
Princeps obedis, primus ad omnia,

Ipſa antevertis verba jubentium:
Parere gaudens, Magnus in infimo
Laudaris, & toto Ducatu
Clarior incipis eſſe geſto.
Hoc ſumma Virtus Te poſuit loco;
Quæ gnara rerum, ſedula gloriæ
Tuæ laboratrix, probámque
Sollicita amplificare famam
Te conſtitutum lumine publico
Exaggeravit nomine maximo,
Regniſque totis abdicatis
Ire animo dedit eminente
Per amputati funera ſæculi:
Stupente Mundo præcipuum Ducem,
Plenúmque LOJOLA Parente:
Dum celebris pietatis hæres
Formoſus ampli filius Ordinis
Evaſit, in quo pervigil ingenî
Effervet ignis, ménſque toto
Fœta DEO, imbibitóque Cœlo;
Intúſque bullit ſpiritus igneus,
Natura celſa, & grandibus indoles
Conſtanter experrecta rebus,
Servitio generoſa ſacro.
At gloriarum plus tribuit Tibi

Hiſpaniarum TE PATRONUM
Regna vocant, colit Occidentis
Porrecta vaſtis tractibus India:
TE Carpetanis MANTUA finibus
Sacras ad aras provoluta
In ſtabilem legit Advocatum.
Jo! peracta eſt ſcena. quid immoror
Impar theatro? quæ vetor eloqui,
Sentire fas eſt: námque amantum eſt
Pauca loqui, tacitóque corde
Sentire multum. gratulor inclytos
DIVÓ triumphos, ſidereum thronum
Plaudente conſcenſum Senatu
Heſperio, domináque Româ.
Sic elevatus nutibus intimis
E monte honorum reſpicis ad tuum
In valle reptantem Poëtam
(Cêu tenuem in cremio cicadam)
Qui ſe, ſuúmque è pectore conſecrat
Guttante venâ paupere ſanguinem,
Artíſque totius medullâ
TE placitis veneratur aris.

ODE XXIX.

AD EDUARDUM BANDINUM.

Non majorem Carnificem, aut miſeriam eſſe malâ conſcientiâ.

TOrmenta non ſunt tam capitalia,
BANDINE, non crux, nō gladius micans
Phœbo repercuſſus ſereno,
Non rota, non mucro, non ſariſſa,
Non militari lancea brachio
Bis torta, non glans, quæ pyrio volat
Adacta fumo, non pharétra
Miſſilibus gravidata telis,
Quàm ſit peracti conſcia mens probri
Nocte inquietis anxia ſomnijs,
Illuſa ſpectris, quæ ferino
Per latebras animi tumultu
Diris oberrant ſeditionibus,
Domúſque pacem diripiunt metu.
Quàm mallet in luſtro Leonis,
Quàm trepidans habitare ſecum,
Quiſquis nocentes pectore fert acus?
Inſtar leproſi eſt, quem ſcabies edit;
Calcaribus ſemper laborat

Solo notantur sæpe vultu
Stigmatici, meritíque furcam.
Ad vocem iniquam quàm manibus tremit
Sons, perpetratæ diſſimulans notæ?
Quàm ſuſpicatur, ſi peracti
Mentio fit taciturna furti?
Se verberari vocibus omnium
Putant, moleſtis quos furijs agit
Rebellis horror, morſicantem
Quotquot alunt animo draconem.
Non inquietum eſt tam mare fervidum,
Quod copioſis refluit æſtibus,
Aut olla ſudans, quæ perenni
Igne rubet, querulíſque ſpumat
Fremens ſalivis; non ita Scorpius
Carbone ſeptus ſe rotat in globum,
Et corpus in gyros, & orbes
Circumagit fugiens caloris.
Non tam ſolutâ ſe glomerat fugâ
Deprenſa ſævis mula crabronibus,
Serpente non morſus juvencus,
Aut apibus ſtimulata vacca
Tam concitato perfurit impetu,
Quàm mens probroſo plena Prometheo,
Quæ roſa conſtanti voracem
Accipitrem repetit ſaginâ.

ODE XXX.

ODE XXX.

HERODIS FVRENTIS Et à DEO puniti PROSOPOPOEJA.

VElut repôstus carcere terreo
Captivus ignis, dum sinit impetus,
Latere gestit, mancipatus
Obsequio prohibentis antri,
Et pertinaces interea coquit
Vorace gliscens ingluvie petras,
Cavátque saxosos recessus,
Et scopulos edit obstinatos,
Demum repertâ liberior fugâ
Effringit arctas hospitij fores,
Furítque, latè publicatis
Stragibus, indocilis teneri,
Sic inquieti consilij tenax,
Timens coronæ, laudibus æmuli
Offensus HERODES modestam
Sollicitâ tegit arte vulpem:
Latet ferocis dissimulans Lupi,
Magósque lactat regius histrio,
Dum tempus occurrat rebelle,
Nequitiæ studet exerendæ.
Tum verò apertus, nec patiens regi
Erumpit hostis, belláque concrepat,

Ardore lactentis cruoris
Æstuat, innocuæque prolis.
Non mollis ætas carnificem movet,
Non ejulatus. Sic RATIO STATÛS
Exposcit, inquit, sis Tyrannus!
Non geminos capit Aula Reges:
Mactentur ipso in semine perfido
Plantæ nocentes, ne caput induant
Olim coronâ, destinato
Ne solio potiatur ætas:
Necdum patrato crimine sunt rei,
At perpetrando: jam satis est nocens,
Quisquis nocebit; qui futuris
Temporibus diadema carpet,
Regíque certas insidias struet.
Est occupandus latro securibus.
J perde sontes, perde dira
Sacrilegæ genitricis ova!
At vix peractâ strage celerrimâ,
Et innocentum funere germinum,
Vastator HERODES ovilis
Fata luit, teneráſque mortes.
Frequens adeso corpore jam salit
Vermis popinæ deditus intimæ,
Exercitúsque hinc inde totus
Semiputri ditione serpit:
Plenam medullam ex ossibus extrahunt
Exulcerati corporis incolæ,
Carnémque convictor molestus
Stellio depopulatur omnem.

Arrosa

Arroſa cerno viſcera: bulliunt,
Ut putrefacti ſpongia caſei,
Suis cavernis promicantes
Exiliunt, recidúntque vermes:
Ad ipſa cordis clauſa cubilia
Se ſe penétrat foſſor inhoſpitus,
Et emedullato Tyranno
Semanimes labefactat artus.
DEI cohortes, atque ſatellites
VERMES fuere. his adde POËTICUM:
Hi viribus junctis, & armis
In ſapidum incubuere Regem,
Pergéntque dentes ſtringere vindices
Ultore morſu, dum caro ſuppetet,
Dum ſtilla ſcintillans micabit
Imbre rubro, roseáque venâ.

ODE XXXI.

AUCTOR cum DANIELE Viro Deſideriorum è feneſtella ſua Templum DEI verſus in captivitate proſpiciente Mundi ac Babylonis pericula, arma, vanitatémque conſiderat ac deflet.

VAh! lubricarum retia fraudium,
Et vinculorum ſplendida ſervitus,

Quantùm catenatas profanâ
Concutis ambitione mentes,
Et inquietos gloriolæ procos
Collidis audax ſanguine mutuo,
Mortíſque obærato furore
Arma quatis, galeáſque miſces?
Quid totus Orbis, quàm pila, quæ manu
Ludente ſurſum vapulat, & ſibi
Relicta, langueſcente niſu,
Concidit, indocilíque lapſu
Neſcit ſupino ceſpite ſurgere,
Nî ſublevetur vindice dexterâ?
Quid cuſpidato ſunt metallo
Serta Ducum, niſi ſenticeta?
Quid totus Orbis, quà patet in globum,
Quàm glorioſo nomine Vanitas?
Argenteæ bullam ſalivæ,
Quæ tremulo temulenta flatu
Adverſa ſoli diſcolor evolat,
Sputúmque rectè dixero vitreum,
Quod ſole mendaci politum
Per vacuas agitatur auras.
O quàm coactus corpore ſpiritus
(Terreſtre quem nil afficit, aut movet)
Hoc Orbe vivit! mancipatum
Carcere ſe queritur ſceleſto,
Et impeditum pondere corporis,
Inſtar volucris, quæ caveâ latens
Invita cantat, lautiore
Menſa licet cumuletur eſcâ,

Doctó-

Doctóque rostro præparat ad fugam
Sibi foramen. Sic Babylonicâ
VATES Palæstinus catastâ
Infremuit, querulóque corde
Dulces fenestrâ prospiciens Lares
Fletu salutans ubere Patriam,
Solatus externum dolorem
Ingemuit Solymam Parentem:
O quàm probrosis (ingeminat frequens)
Aguntur isthîc tristitijs dies,
Inter ferinas nationes,
In media regione mortis,
Inter Poparum sacrilegos focos,
Aráſque turpi pulvere luridas,
Et thure fumantes profano
Excubias, stygióſque mystas,
Inter Deorum monstra, veneficos
Inter Molochos, inter imagines
Longo camino denigratas,
Inter apros, hominéſque porcos,
Et contumaci vertice Bubalos,
Suæ tenaces stultitiæ viros,
Gentémque truncis duriorem
Quàm miseræ capiuntur horæ!
Quàm feriatis terra pigerrima
Hîc prostat arvis? non rubra pampinis,
Non flava botris, crapulámque
Ebria non bibit ex racemis;
Matura longis granáque solibus
Hîc nulla turgent; sit licet uvidi

Jam tempus Autumni, inquieto
Præla tument cava nulla musto.
O quàm scelesto spinæ erinaceo
(Proles Parentum pessima turpium)
Succrescit isthîc? stat cruenta
Sente manus, vepribúsque manat:
O quàm coäcto sub Duce barbaro
Sudore stillat frons patiens jugi,
Et ossa succo destituta
Emeritâ titubant medullâ?
Diversa quantùm stant Patriæ bona?
Tellus honestis fœta liquoribus
Sitim lacessit, destinatâ
In spolium properante vite,
Albente messis candida tritico
Imprægnat arcas, horrea pinguibus
Distendit agris, & palatum
Fertilibus licitatur arvis:
Ibi sonoræ lacte fluunt aquæ,
Sylvæque sudant melle merissimo,
Hortíque abundant: condiendi
Omnis ibi genij apparatus.
Hæc ille secum vir Babylonicâ
Vinctus catenâ. sed gravius jugum
Ferunt, beatâ servitute
Quotquot amant, inhiántque Cœlo,
Uníque gaudent se dare Numini.
Quàm terra sordet mentibus editis?
Quàm nauseatis se queruntur
Vallibus implicitos teneri?

Sur-

Surſum è feneſtris proſpiciunt globum
Stellis frequentem, grande palatium,
Rectáque ſuſpirant negari
Huc aditum, volucrémque metam:
Rident ſtrepentem militiâ locum,
Et inquietos Regum animos ſtupent,
Quos audiunt armis cruentis
Dividere, aut ſpoliare Mundum.
Terreſtre quàm nil Mentibus his ſapit,
Illíſque terra hæc non ſatis eſt ferax,
Fructúſque ſpernunt? pinguiores
DOROTHEÆ meditantur hortos.

ODE XXXII.

AD EDMUNDUM ALANUM ILLUSTRIS JUVENTUTIS MORUM PRAEFECTUM.

Sæpius Studioſis recreationem concedendam eſſe.

SI cupis lætos animos, ALANE,
Vividi largam genij juventam,
Crebriùs pubem ſinito virente
Ludere prato:
Vere præſertim, meliore Sole,
Cùm parit Tellus genitrix venuſta
Floream gentem, viridéſque ſtellas
Seminat agris.

Præ-

Præſtat, in campis juvenem occupari,
Quàm domi longos iterare ronchos,
Aut colos inter pigra femininas
Ducere fila.

Præſtat, in campis pila ſcipione
Vapulet, quàm ſi petulante ludo
Miſceant chartas, varióque ſigna
Picta colore

Fervidi lucro ſocij, vel ægro
Aleas jactent animo bibones
Saucij damno, ſterilíque caſu
Oſſis eburni.

Tempus eſt libris. mora conſtituta
Palladi lege eſt. ubi literatæ
Clepſydræ fluxit ſabulum, labores
Finiat hortus.

Sic docet pullos Aquila irretorto
Præditos vultu: via Sole viſo
Quando confecta eſt, patrio reponit
Provida nido.

Quicquid intenſo ſtudio laborat,
Tempus alternâ redimat quiete.
Feſſus incurvum quoties juvencus
Ponit aratrum?

Non equus ſemper comedit moleſtum
Rictibus frœnum, properánſve currit,
Ducit accepto ſtabulo ſonoros
Bellua ronchos.

Ipſemet Phœbus ſpatio diurno
Laſſus ignitas moderatur horas,

Stre-

Strenuos quando fluvio caballos
Tingit Ibero:
Arcus intentus vehemente chordâ
Rumpitur tandem: mola concitato
Alveo currens quoties recusat
Mobile saxum?
Nauta non semper tumidum procellis
Findit audaci pelagus carinâ:
Fracta longinquus reficit viator
Membra quiete:
Non faber constans Siculo camino
Fulmen irato fabricat Tonanti,
Sæpius fessos piceo lacertos
Ponit in antro;
Igne non semper rutilat, nec atris
Ætna scintillis inimica fumat.
Est suus flammis modus, & severis
Meta favillis.
Impium est, pigro, fateor, ligari
Desidem somno, tacitæ propinquum
Stare fornaci, tepidóve lecto
Perdere soles:
Sed tamen libris (velut ales ovis)
Incubet nullus: solidos labores
Misceat lusu: domet erudito
Otia cantu.

ODE XXXIII.

ODE XXXIII.

Libido DUELLANTIUM pro re prorſus exigua, ſeveriſſimis Eccleſiæ ſanctionibus jure fulminata exagitatur.

O quàm probroſâ luce micat ſtylus,
Juratus hoſtis lambere ſanguinem,
Campóque certus cuſpidatâ
Stare acie, gladióque ſtricto,
Dum provocatus concidat æmulus.
Pro puncto honoris (quàm tenui nuce!)
Indicitur vindex macellum
Alterutro rutilans cruore.
Si fortè geſtu ſupplice pileus
Non ſat profundo corpore motus eſt,
Contemptus in campum citatur
Funereo luiturus ictu.
Glandes parantur. mors placet ignea,
Confecta plumbo. jam pila funditur
Emiſſa probroſo canali.
Ambo cadunt pugiles honoris,
Famæque ſervi. parte aliâ vigent
Turpes amores, intolerabilis
Vitæ Tyrannis, quâ proterva
Vadit in exitium juventus.
Petulca ſæpe eſt femina nobilis
Fuſi cruoris cauſa, procus procum

Depo-

Depoſcit ad mortis palæſtram
Judice prævaliturus enſe.
Suſpecta vultûs fulgura ſæpius,
Unúſque nictus fronte breviſſimâ
Vibratus in notas feneſtras
Sanguineum inſtituit lavacrum.
Amore ſacci vermibus in cibum
Olim litandi, & ridiculæ cutis
Sanguis propinatur machæris,
Pectora dilapidantur enſe:
Pro Capra olente, & corpore ſordido,
Vilique maſsa, pro ſpecie levi
Cras deſiturâ prodigatur
Nobilium cruor hoſtiarum?
O Martem ineptum! pro Patriæ bono,
Focis & aris, mœnia cùm tremunt
Inſtante Turcâ, cùm ſaluti
Odryſius minitatur hoſtis,
Et jam propinquas diripit Inſulas;
Devota morti corpora nulla ſunt,
Nec ære conductus parato
Miles adeſt numero frequente,
Licet rogatus; caſtra peculio
Inuncta deſunt. quiſque timet cuti,
Oditque ſulphur militare:
Plurima pro meretrice pugna.
Si perſecutor, ſi DIOCLETIUS
Petat cruoris flumina pro Fide,
Siccata vena eſt: ne micantem
Vel nimia feritate guttam

Feret

Feret NERONIS tota protervia.
Idola curvo muta colent pede,
Thus immolabunt, cêu carerent
Sanguine, quem Fidei litarent
Ter glorioſo vulnere ſordidi.
At ſi profanæ cauſa cupidinis
Emergit, in ſicas & haſtas
Intrepido properatur auſo.
Qui ne vel unum pro Duce, pro grege
Novêre ferro plectere pulicem,
Fœtente totas pro Luperca
Conglomerant acie cohortes.
Exulceratas aſpice Tigrides,
Torvóſque tauros: totus homo flagrat,
Ætnáque fumans turbulentâ
Perſequitur vetitos amores:
Accenſa vibrat copia ſanguinis,
Hepárque ſævis fertile puſtulis:
Ferociunt venæ canali
Cæruleo, rapidáque flammâ
Ignes aluntur. Vertite Claſſicum,
Verúmque honorem ſanguine quærite.
Inglorios belli gigantes
Relligio volet apparare
Suis triumphis. Pro Superis mori
Eſt glorioſum, fundere ſpiritum,
Ferróque tranſacto decorum
Magnæ animæ reſerare pectus,
Caſtum cruorem pôrgere Lanceis.
Quid vos juvabit frons meretricia,

Tutens

Putens cadaver? quid flagranti
Vendita mens meretrix camino?

ODE XXXIV.

AD HERIBERTUM RABONUM

Vt à Gastrimargia abstineat, morbósque ex ea provenientes evitet.

ABstine bolis, aciéque vini.
Quod sapit, crebrò malè digerendum est,
Principes mensæ stomachi culinam
Pondere frangunt.
Crapulà toto nihil est in orbe
Fœdius. morbi, calidæque febres
Inde nascuntur, gelidóque crudus
Rore catarrhus,
Pulmo decoctus, nimijs culullis
Pectus accensum, jecur igne tostum,
Phlegmatum turpis sanies, anhelæ
Lucta salivæ,
Atque ventosâ lue Tympanitis,
Pestilens hydrops sitiente linguâ,
Calculus mordax petulante scindens
Viscera serrâ.
Vendita est pomis hominum propago,
Et gulæ cessit. tenui merendâ
Consti-

Conſtitit Mundus. malè olente pulte
Venijt Eſau.
Si velis multas numerare Lunas,
Victita parcus, tenuéſque mande
Sobriæ terræ moderatus herbas,
Atque legumen.
Vita radices epulata longum
NESTOREM vixit: juvenes vorando
Perditi plures obiere vernam in
Limine mortem.
Quid gruis collum juvat, & plateâ
Gutturis longâ, patulóque tardus
Calle trajectus cibus? an perennes
Durat in annos?
Tranſitus multis bibuli palati
Conſtitit charo. numeróque plures
Dolijs hauſti reperere mortem,
Quàm maris undis.
Interit lautâ ſapor omnis horâ:
Sputa ſuccedunt, liquidæque fæces,
Flaváque exundat procul hinc relicto
Litore bilis:
Sordidam ructat barathro Mephitin
Bacchus heſternus vomitu propinquo:
Nauſeâ languet ſtomachus, gravatus
Mole ciborum.
Rancidæ nubes cerebrum fatigant
Ex heri poto reſides Falerno.
Circumit feſſum caput, & reclini
Pondere nutat.

Cur

Cur flagellatur mare? cur frequenti
Pisce squamosi spoliantur amnes?
Cur peregrinis adipata stant con-
-vivia pernis?

Non satis lautum est, nisi mille constet
Prandium numis; nisi maceratis
Poculum gemmis onerent, & aurum
Sorbile potent.

Quò gula ascendit rabie vorandi?
Quo nocens luxus venit helluando?
Depeculatur fera dira totum
Crapula Mundum:

Conjuges binos, nitidos Smaragdos,
Integri Summam CLEOPATRA Regni
Gratiam Magni licitata Sponsi
Solvit aceto.

Nî sit æstivâ tepidus Lyæus
Ante crystallo quater elevatus,
Non sapit, quamvis hyemalis æstus
Atterat annos.

Crede non longos, HERIBERTE, soles
Helluo vivet, madidúsque potor.
Finiet cursum Palinurus alto
Mersus Jacho.

Quot procellosus tumulavit haustus,
Quos senes olim niveâ verendos
Fronte spectâsset populosa seros
Patria Cygnos.

ODE XXXV.

ODE XXXV.

AD PRAECLARISSIMUM SAECULI NOSTRI ARCHITECTUM LAURENTIUM BERNINUM.

Nova ipsius & artificiosissima fabrica Romæ Templo Principis Apostolorum continua prædicatur.

Silleto Memphis Pyramidum tholos,
Celsósque muros nubibus æmulos,
Audáxque marmor sumptuosis
Turribus, & capitosa saxa
Evisceratis montibus eruta,
Matrísque abortus Deucalioneæ
Ingente conceptos parente
In penitis uteri fodinis.
Sile Corinthus prodigium Deæ,
Molémque Templi, spectráque inania
Sublimium quondam petrarum,
Et lapidum pretiosa frusta:
Ne literatas emeritis notis
Jacta Columnas, quas senium vorax
Invidit annis posterorum,
Nec lacerum fabricæ cadaver
Verbis recense magnificis: ruit.
Mirare ROMAM, quæ nimio situ
Grava-

Gravare terram, ponderosis
Æthera sollicitare conis,
Miscere terram nubibus, & Sacrum
Inferre Stellis ausa caput, novum
Metata, BERNINO Magistro,
Prodigium est, fabricæque monstrum.
Quæ Templa cerno marmore lubrica,
Et nupta Cœlo? non Salomonia
Fundata tanto constiterunt
Robore, conspicuóque luxu.
Palude quæ sunt tecta Corinthiâ
Olim Dianæ condita, non pari
Fulsere cultu, nec superbus
Marmoreo tumulus cothurno.
Passim Columnis quæ gravitas inest?
Quàm molis ordo est nobilis? optico
Errore mentitur dolosa
Compositis series Columnis:
Porrecta vasto pegmata stant foro,
Et torta curvo fornice culmina,
Laboriosis texta spiris,
Artifici variata scalpro:
Testudo miris concava flexibus
Scandens in altum mole sibi obviâ
Incumbit alternis Colossis,
Multiplici camerata conchâ.
Nil tale Mentor, nil Phydias sagax
Orbi tuendum protulit. Italus
Nil tale vidit. tam peritam
Non posuit BONAROTTA molem.

Æterna

Æterna ſtabunt atria ſæculis
Examinato freta loci ſitu,
  Auctore tanto gloriatæ
    Artificem ſtatuæ loquentur.
Quamvis minacis fluminis impetus,
Aut impudentum ſeditio imbrium
  Conſpiret in molem, perenni
    Illa minas refugas theatro
Ridebit altùm. Stat PETRA proxima,
Invicta toto machina Tartaro.
  Æternitati fabricari
    Egregium ſinite Architectum.

ODE XXXVI.

AD THEODORICUM WERIBTUM AMICUM SUUM, TRACTANDORUM ANIMORUM VIRUM PERITISSIMUM.

Fructum Animarum Auctor ipſi gratulatur.

FElix, qui placidis clavibus utitur
Ad mentes hominum! Sponte feræ cadunt,
Sublatóque patent cardine pectora,
            Si Judex ſit amabilis.
O quot ſacrilegis judicium labris
Illud conficitur, ſi ſedeat loco

Auſte-

Austerus monitor. ſponte fatebimur,
Si nacti Medicum ſumus.
Non hîc fulmineis eſt locus Æacis,
Non judex vehemens hîc Rhadamanthus eſt.
Non res hîc agitur robore Teſtium:
Nemo ſanguine cogitur;
Qui cauſam dirimit, non odio flagrat,
Ulturus vitium ſævit amoribus,
Arcanóque foro tranſigitur pudor
Vinctus difficili ſerâ.
Non iſthîc querulæ verba potentiæ
Exaudire datur, nulla tonitrua,
Sed nutus placidi, & ſidera proſpera
Sellâ propitiâ micant.
Talis CHRISTUS erat, quando Puerperam
Abſolvit facilis cenſor adulteram.
Qui peccata reis eluit, AGNUS eſt
Miti candidus indole.
Hunc Tu conſequeris paſſibus æmulis.
Id frons explicitâ ſuda modeſtiâ,
Et miti reſidens ore benignitas
Vultu compoſito docet.
Quis candor niveæ proditor indolis,
Et mores teneri? quàm modus innocens
Pertractandi animos, quæ probitas Throni
Sacri nobilitat Virum?
Æqualis reſides omnibus omnia,
Dum Judex pater eſt: alloquio reos,
Ceu Magnete trahis ferrea pectora,
Et prædas abigis ſacras:

Alas intrepidas omnibus explicas:
Ceu gallina parens, quæ ſobolem fovet
Patrono gremio, Tartarei vafras
Arces Accipitris manus.
Ad Te confugiunt pinguia crimina
Huc uſque indocili tecta ſilentio.
Ad Te luxurijs ſordida confluunt
Conferto ordine pectora:
Expurgas timidis pectora ſcrupulis,
Ne mentem ſcabies intolerabili
Pruritu laceret: ſolicitam caves
Blando conſilio lepram.
Te Cœli ſaturis ignibus ebrium
Lucrando ſceleri præpoſuit DEUS,
Qui pulchras animas fœcibus erutas
Inſcribis rutilo Polo.

ODE XXXVII.

AD R. P. BEATUM AMRHYNIUM SOCIETATIS JESU IMPETRATÂ MISSIONE SINICÂ IN INDIAM PROFICISCENTEM *ANNO M. DC. LXXII.*

PROPEMPTICON.

COgnito vixdum calefacta Sole
CHINA perfracto reſerata muro
Nuper

Nuper Europæ tacitam locuta
Fertur in aurem.
Summa verborum fuit: ut volentes
Ultrò ad externas penetrare Gentes
Prodigos largi ſocios cruoris
Mitteret Indis;
Vineam dixit ſibi ſtare magnam,
Fertilem botris, ſatuiíſque gemmis;
Conſitos albâ Cereris medullâ
Ningere campos:
Rura propenſo titubare culmo,
Ire in aſſenſum reverente nutu
Supplices ſpicas, Fideíque ſponte
Velle ſubeſſe:
Se tot, ac tantos, ait, invidere
Nobilis venæ Pugiles Sorori,
Et tot Heroes propriam paratos
Ponere vitam:
Mitte non paucos mihi (ſubdit illa)
Nullus his terris erit otioſus;
Ampla Sinarum Regio patente
Didita tractu eſt:
Mitte non paucos: nihil obſtinatis
Hos Viros prodeſt adhibere Sectis.
Hæreſi duri capitis relictâ,
Mittito nobis.
Non deëſt Sinis reverens voluntas
Mollior pronâ nive. paucitate
Hîc laboratur, neque ſunt paratâ
Lege magiſtri.

Annuit votis Soror, & petitos
Pacta Doctores Fidei, BEATUM
Cæteros inter voluit Sodales
Ire priorem.

Macte felici decorare Spartâ,
Præco divini generose Verbi!
Naviga prosper, fidei metallum,
Buccina legis!

Nympha cœlesti rubicunda fuco
Prodromo Phœbum radio salutans
Aureos pectat tibi flente vultu Au-
-rora capillos:

Ne tibi largis vitiata nimbis
Lippiens nubes maculet sereni
Aëris risum, violétve cœli
Crapula Solem:

Aura Cygnæis spatiata pennis
Suggerat molles animosa flatus:
Sirium mactet calidè latrantem
Mitior Eurus:

Sibilet blando Zephyrus cachinno,
Si gradi terrâ dabitur, molestum
Umbra sylvestri fabricata tecto
Leniat æstum:

Pluma substernat famulata sacris
Aream plantis, facilémque passu
Laneo callem, tenerámque Tellus
Provida ceram:

Si peregrini pelagi modesto
Fonte labêris, spatiosus undis

Ser-

Serviat Ganges, famulúsque planis
Fluctibus Indus:
Offerant se se geminis jocosæ
Mira Naturæ monimenta ripis,
Blandiens visu situs, & placente
Structa theatro
Terra succedat, liquidíque fontes
Roscidis musco viridante labris;
Nobiles petræ, laqueata vasto
Culmina topho:
Obstrepant picto volucres colore,
Musicam linguam nemorum histriones
Exerant, quotquot tremulam loquelam
Cantibus aptant.
Macte ferrato clypeate corde!
Ito Patronos numerande nostros
Inter insignis, variæque sortis
Candide ludo:
Vade collegâ RAPHAELE cinctus:
Astra confertis onerato Sinis,
Utque præclarâ es celeber Mathesi,
Sidera monstra.
Si gravis non sum, Superíque faxint
Arbitri rerum, trahe me sequacem:
Ad profundendum cupidi cruorem
Ibimus Ambo.

 ODE XXXVIII.

ODE XXXVIII.

AD OLCORNUM MESSALINUM.

Cùm se Prætoris, Judicisque officio abdicâsset, ut sibi ac DEO viveret.

O Te beatum præ reliquis Virum!
Ponis molestam tergore sarcinam,
Ne judiceris, judicare
Desinis, officióque cedis,
Posthàc silenti deditus angulo
Acturus horas absque negotijs,
Fori tumultu liberatus,
Aëre liberiore vescens
Tibi vacabis pace domesticâ
Libris sepultus. Quàm cuperem viros
Plures fugaces conspicari,
Et vacuos titulis Atlantes?
Exosa res est surgere cæteris
Excelsiorem, plectere subditos.
Curæ molestæ, tetricíque
Impediunt hominem labores
Gnavum regendi. jam timet, & tremit:
Jam concitatis invehitur minis:
Jam mille respectus volutat,
Et varias meditatur artes:
Interpretatur: corrigit, increpat:
Malagma rursus vulneribus parat,

Ulcús-

Ulcúſque muco purulento
Sanat hians meliore verbo:
Subinde frendet, fulminat, & tonat,
Sontéſque carpit: diſſimulat modò,
Studénſque perſonæ, jocatur
Cum Nemeſi, cohibétque libram:
Omnes amicos optat, & unicum
Ex mille forſan rariùs invenit:
Jam deprecatur: jam potentis
Officij reſonas ſevero
Honore claves concutit, & reis
Sceptrum minatur: tinnit in auribus
Exerta cum pompa poteſtas,
Diffugiunt animi puſilli,
Cêu viſo edaci vulture pulluli,
Uncóve catti pollice muſculi.
Omnes timentur, vix amatur
Unicus ex numero Imperantum,
O quàm dolendus judicis eſt ſtatus,
Et quotquot alto munere præſident!
Subeſſe præſtat, quàm præeſſe:
Eſt melior bonus Urbe civis,
Quàm Dux ſuperbus. nutibus omnium
Paſſim notantur, qui ſpeculâ ſedent,
Cêu bubo, ſi Phœbo micante,
Déque die ſtatione prodit,
Repente denſo cingitur alite,
Multúſque roſtro vindice pungitur.
Plures in annos contumaci
Mente ſedet Nemeſis cicatrix,

Inflicta quondam plaga levissima,
Offensa longum servat aculeum.
  Sortem Regentis, MESSALINE,
    Sole vides propè clariorem,
Deflenda quàm sit, dignáque res fugâ.
Prodesse pauci cùm nequeant, volunt,
  Præesse jactant, ambitúque
    Præcoce diripiunt honores,
Fumísque vivunt. Fessus inanium
Fastigiorum pondere CAROLUS
  REX atque CAESAR, vanitate
    Ipse satur procul abdicavit
A se coronas, sceptráque pluribus
Gravata Regnis: celsa palatia
  Valere jussit, fœneratus
    Sub modica sibi tempus æde
Transcripsit astris vasta negotia,
Cœlóque vivens, ac sibi, spiritum
  Lautâ saginans servitute,
    Expolijt pietate mentem:
Nimirum acuto lumine perspicax
Nil aut favores, aut genus, aut opes
  Virtute neglectâ valere
    Vidit, & ingenium caducum
Inesse vanis sensit honoribus,
Quos ipse posthàc ter pede proterens,
  Spretáque majestate sceptri,
    Est oneris gravitate mensus:
Qui bellicosis vultibus igneas
Duxit cohortes, & Numidûm truces

Gentes,

Gentes, rebellantésque Cœlo
Hæreticos tutudit, secundo
Bello subactam messuit Africam,
Is gloriosum deposuit Sagum,
Et Regna fastidita viles
In nebulas citò desitura.
At quanta Mundi portio munus est,
OLCORNE, longo tempore quod geris,
Si CAROLINO conferatur
Imperio, Hesperiæque Regno?
Felix relicto sed tamen ambitu,
Mentísque gibbo, liber aculeis,
Curísque (quæ sugunt medullam
Ossibus, exanimántque somnum)
Jam, MESSALINE, es liber honoribus.
Perge arrogantes spernere glorias,
Téque inquieto lubricarum
Emporio clepe Curiarum.
Contempta Virtus divitibus ferè
Sub tecta posthàc se sacra conferet,
Domíque privati penatis
Limite dissimulata vivet.

ODE XXXIX.

AD D. CÆCILIAM
PATRONAM SUAM DULCISSIMAM APEM ARGUMENTOSAM AB ECCLESIA APPELLATAM.

In illa Ecclesiæ verba : CÆCILIA Famula Tua Quasi Apis Tibi Argumentosa deservit.

VIrgo Phonasca, & Superûm Organæda
Postulat dudum sibi Vatis artem:
CÆCILI canto, mihi cantat illa,
Virgo Poëtæ,
Virgini Vates. sumus instituto
Ambo cantores. mihi concinenda
CÆCILIS. duram facit optionem
Musicâ Virgo.
Virginem laudem cytharâ? Poëtæ
Jam Lyrâ talem cecinere plures.
Martyrem laudem? cecinere plures
Martyra Vates.
Est APIS Virgo mihi nominanda.
Suave mel nomen redolet. fragranti
Gratiâ plena est, & odore Virgo
Plena pudico.

Innu-

Innubæ gnarus populator auræ
Ales Hyblæis operosus agris,
Florei prædo nemoris virentes
Convehit herbas:
Mole membrorum minor, arte major
Pabuli miri faber officinam
Roris exercens, lacrymásque Solis
Manè requirens,
Antequam mellis coquit esculenta,
Exit in campum vagus: erudito
Consulit rostro documenta florum;
Inde labori
Pistor accinctus, genus auspicatur
Roscidæ ceræ, piceúmque rorem
Arte molitus subigit fragrantem
Nectare viscum:
Dum coit molli dape pix odora,
Innubæ cellæ redolent, pudici
Conjuges fragrant. Cypridis maritæ
Nulla libido est;
Virgines perstant volucres, & omnem,
Nî sit innuptus, thalamum recusant,
Casta vernanti rata sunt pudore
Mellea Regna.
Talis intactâ mea mente Virgo
CÆCILIS, talis fuit, expoliti
Sponsa candoris, licet illa nupta
Virgo marita.
Angelum floris, niveæque carnis
Nacta custodem, tenuit decorem

Integrum labis, minimóque puram
Crimine mentem.
Illa divinam meditata Vitam
Per ſacros libros volitare docta
Contulit ſuccos, & Apum ſecuta
Nobile munus
Mellei Virgo genij, profanos
Arcuit fucos, ſtudioſa florum,
Atque Virtutum virides amavit
Numinis hortos.

ODE XXXX.

Solus homo libertate ſuâ abuſus DEO *inter Creaturas ceteras Rebellis, & contumax.*

STellatis choreis æthereæ faces
Pridem lege ratas excubias agunt,
Mendicos radios Cynthia Cynthio
Acceptos docilis refert:
Si Sol Heſperijs it cubitum fretis,
Decurſo ſpatio, quo ſat habet ſopor,
Rurſus conſpicuum tollere verticem
Feſtinat roſeo toro.
Nunc terræ Boreas conglaciat ſinum;
Nunc laxant Zephyri, quod riguit gelu:
Nox, lux, bruma, calor, Sirius, & Caper
Alternâ ſubeunt fugâ.
Non

Non exhausta putes fluctibus æquora,
Quando se profugis æstibus elócant;
Post horas redeunt flumina, quæ cavas
Fossas antè reliquerant.
Quæ Mundi solido Conditor ordine
Fundavit, posito limite permanent.
Parent Artifici cuncta. nihil datur
Audax, quod renuat jugum.
Fiunt, quæ placidâ lege jubet DEUS.
Necquidquam ingenium Numinis, aut statũ
Divinorum operum torseris. omnia
Firmis stant adamantibus:
Quicquid Sol volucri circuit orbitâ,
Ex nutu æthereo pendet, & illico,
Quicquid præcipitur, molle, vel asperum,
Jurato obsequio facit.
Unum est, quod stolido se clepit ambitu,
Et sternax domino subtrahit à jugo.
Libertas hominis cedere contumax
Legi sæpius obstitit.
Hac creti silicis perfidiâ, rei
Cœlum ipsum petimus stultitiâ, manus
Armatas alapis inferimus DEO,
Divos ense lacessimus;
Nostris insipidi moribus optimos
Metimur Superos, & vitijs suam
Laudem dividimus, cêu bene facta sint,
Et plausus deceat malos.

ODE XXXXI.

ODE XXXXI.

Fons AVGVSTI Cæsaris ante Curiam AVGVSTÆ VINDELICORVM magnificentissimo opere collocatus laudatur.

FOns Tu nobilium gloria Fontium
Pridem CAESAREÂ clarus imagine,
AUGUSTAEque decus, quà spatio forum
Se vasto explicat ambitu.
Plena est ingenio saltilis æquoris
Divisa in choreas unda: liquentibus
In sublime furens cogitur anulis
Centum erronea torquibus:
Crispis ludit aquis, pérque foramina
Eluctata sitis lubrica fortiùs
Ascendit tremulo fluminis halitu
Respirans nitido freto.
O Fons sidereà purior Iride!
Æstum marmoreo qui perimis gelu,
Latratámque pigro VINDELICAM Cane
Formosâ recreas aquâ.
Curvat fons liquidum flumine fornicem,
Succóque artifici, cêu fugeret, fluit;
Mox undas revocans turgidus exules,
Compensat refugum mare.
Fons, potabilium Regie Fontium,
Qui das virgineæ pocula crapulæ,

Te

Te Nymphæ vitreo depereunt vado,
Et Sponſum ſibi poſtulant.
Sirenes alium non ſibi conjugem
Prenſant, ipſa Thetys Suevica cum ſua
Huc Aula remeat, dulcibus ut labra
Crebrò fluctibus eluat.
Non te vincit honos, famáque gurgitis,
Quem pennatus Equus protulit ungulâ.
Cryſtallo reſidet non Heliconio
Tam dulcis ſapor inditus.
Ingens magnificâ pegma crepidine
Præſtans materiâ eſt; ars melior tamen
Excedit pretium marmorei ſcyphi,
Quo caſtum ſpeculum natat.

ODE XXXXII.

AVCTOR cognitâ rerum vanitate ad cæleſtia ſe transfert.

QUid tādē in Orbe eſt, quod placeat probis,
Quod non edaci tempore carpitur?
Quid tam perenne eſt, quod ducentis
Flore ſuo lapideſcat annis?
Prætervolantes hora vorax dies,
Et ſeptimanas ambedit integras,
Prædatur annos, & moleſto
Calvitio populatur hortos;

Quando

Quando ſtat annus merſus Aquario,
Et friget albâ tempus epomide,
Quando coarctato liquore
Bruma ſolum glaciale ſpiſſat:
Ipſa abligurit denuo ſæcula
Triſtis ſenectus. celſa Palatia,
Regúmque ſedes, & potenti
Fulta ſitu ſpoliat theatra.
Formoſa quantùm non facies placet
Procata mentes? ſed furia eſt brevis,
Et vis amoris, cùm repente
Frons tetrico caperatur Uro:
Oſtende vultum ſub ſcrobe floridum,
Illámque monſtra tu mihi purpuram,
Pro qua decennali per aſtum
TROIA rogo nigra conflagravit.
O ſumptuoſæ Larva cupidinis!
Megæra quantis conſtitit ignibus
Hæc una? num tantum macellum
In patriam liceat puellæ?
O vanitatum maxima vanitas,
Quiddam, perenni quod rigeat ſtatu,
Ferro trilici fabricatum
Quærere ſub ditione Solis!
Ullúſne cantu vincit Aëdonem?
Unius at vox filia menſis eſt:
Majo ſepulto conticeſcit
Mel volucrum, nemorúmque Siren,
Quid purpuratâ bellius eſt rosâ?
Quid liliatâ pulchrius eſt nive,

Quando

Quando repandis ſena lingua
Se folijs oculo propinat,
Et intuentum lumina faſcinat.
At pulchritudo hæc caſta breviſſima eſt:
Paucis diebus forma pallet,
Emoritur populoſus hortus.
Tandémque quid ſunt divitiæ, ſuis
Falſo nitentes lumine ciſtulis?
Conſtante quid prodeſt labore
Indigenas trahere amne gemmas?
Intérque gazas ſtare domeſticas
Fulgorem inanem? Mercurius venit
Uſus tenebris, corrogatum
Nocte rapit tacitâ metallum,
Emptóſque tantis ſæpe periculis
Secum lapillos ire latro jubet.
I, quære Divinos: quis ille,
Qui nitidam tibi clepſit arcam?
At eſto: nullos Accipitres dari,
Manúſque curvas. Mórſne peculium
Tibi relinquet? te ſepulto
Cujus erunt bona comparata?
O nundinatrix peſſima Vanitas!
Quàm fraudulentis mercibus obruis
Tuos ementes? quàm clientum
Prodiga depopularis orbem?
Natantem in auro & divite purpura
Cur civitatem, quæ Superos beat,
Ærario Mundi relicto,
Non cupidâ licitamur arcâ?

Dixi:

Dixi: relinquam terrea. res habe
O vanitatum maxima Vanitas!
Æterna quæram, nec deinceps
Tam luteas agitabo curas.

ODE XXXXIII.

Laus PATRVM Societatis IESV ob laborioſam juventutis inſtructionem, ac Barbararum Gentium converſionem.

Hi ſunt, qui juvenes efficiunt viros,
Dum magnis teneram ſumptibus ingenî
Ætatem artibus imbuunt,
Cêu teſtam figuli novam:
Qui rauco calidi pulvere claſſium
Partum incompoſitum linctibus impigris,
Et caſtis poliunt labris,
Cùm primus madet Embrio:
Annosâ ſtabiles qui Patientiâ
Centum cum pueris tædia devorant,
Dum ſculpant aliquid trabe,
Et vas compleat artifex.
Hi ſunt, qui proprio ſanguine prodigi
Trans Indos abeunt, ut patulum novis
Cœlum Meſſibus impleant,
Illícque horrea conſtruant:

Hi

Hi ſunt, qui ſolido marmore pectoris
Non Orcum veriti Tartara provocant,
Ditíſque Imperium, ſuis
Armis comminuunt ſtygem.
Hos Virtutis honor ſemideos Viros
Excerptos populo ſculpſit ad ardua,
Fecítque officijs pares,
Terrarúmque negotijs;
Heroës genuit, quos voluit ſuos,
Supra terribilis regna tonitrui
Erectos animo mare
Juſſit ſpernere vilia.
Cêu Jobus domitor Sortis, & helluo
Fortunæ implacidæ, ſtans pedibus ſuper
Calcavit timidam ſtygem,
Sic hi Tartara proterunt:
Vadunt in gladios impavidi truces
Hinc illinc pluvio ſanguine roſcidi,
Contemnunt animæ lucro
Vitam, quam Genitor dedit:
Pergunt per medias impete Lanceas,
Ut ſervent animas, quas ſibi deſtinant;
Centum ſi ſpolio ferant,
Læti mille alias petunt:
Nil ipſos retinet, quò minùs in neces
Se ſe præcipitent; alliciunt ſitim
Formoſa enſe pericula:
Hydropem amplificat cruor.
Gaudent in rigidos vadere Barbaros:
Campeſtréſque Scythas, per Geticas nives,
Se tru-

Se trudunt, per acinaces,
Ut ſervent animam unicam.
Sic LOJOLA jubet Vir ſolidiſſimus,
Ingentíſque tubæ præco XAVERIUS,
Quos pridem nimius ſui
Divis inſeruit labor.
Quid ſacri memorem nomina ſtemmatis,
Et quos poſteritas transferet in Deos,
Centum magnanimos Viros
MASTRILLOS, SPINOLAS, FABROS?
Qui non ſolliciti vivere, ſed mori
Contempſere animo vaſta pericula,
Et ſtricti gladij jubar,
Irati furias maris.
Gens hæc magnificis opprobrium DEI
Sceptris antetulit, delicijs cruces,
Claro ſcommata Nomini,
Vitæ purpureas neces.
Id Tellus Japonum ſponte fatebitur,
Quæ noſtris toties uncta cruoribus
Admirata animos mares
Viſis erubuit roſis.

ODE XXXXIV.

ODE XXXXIV.

AVCTOR deplorat perditissimum Orbis statum post tot supplicia & pœnas non correctum.

CRiminum Vindex licet in nocentis
Incolas Orbis pluerit Charybdin
Imbre communi, liquido sepulcro
Nil tamen actum est.
Ira scintillans Superum, nec Ætna
Decidens astris piceo lavacro
Carneos mores stitit impiorum,
Depluus ignis.
Massa succrevit scelerum, paríque
Rursus incedunt pede, sicut antè
Sæculo Lothi. nequit expiari
Sulphure Mundus:
Accipit vires inimica vita
Ex DEI pœnis. quotus esse justus
Post tot eversos satagit trisulco
Fulmine vicos?
Priscus errorum color, atque vultus
Post aquam & flammas, eadémque frons est.
Legibus nemo sapiente latis
Judice paret:
Nam quibus Tellus gemit ægra probris,
Dum fames lucri, vitijs ministrans
Omni-

Omnibus robur, ſtudet obſoleto
Nubere ventri,
Pérque calcatos miſeros Achivos
Imminet vulgi ſpolijs, & audax
Plebis expreſſo ſua de racemo
Pocula tingit.
Plutus Aſtrææ Solio potitus
Jura Pupilli licitatur ære,
Atque venalis fidei propola
Lancibus unctis,
Vota diſpenſat potiora numis
Immemor cauſæ, ſitiens rapinæ
Innocens damnat jugulum ad machæram,
Pectus ad enſem.
Nec ſitim partis pretioſus hydrops
Placat. in terras alio calentes
Sole ſe transfert, ut ibi tumeſcat
Euclio morbus;
Nobilis venæ ſcatebras avarus
Effodit melles: ibi, Dite viſo,
Foſſor expallens trepidat metallo
Concolor albo,
Nec ſitim abrumpit, ſed it obſtinato
Ad Stygis portas gladio, propinquam
Tartaro glebam violans ligone
Quæritat aurum.
Impius livor ſcabie ſceleſtâ
Totus exeſus, faciéque torvâ
Proximi ſortem ſpeculatus, atro
Ringitur ore:

Euclio

Euclio dicit macer: AFFER, AFFER!
Turgidis quamvis ſcateat crumenis,
Neſcit expleri, rabidíſque ſpebus
Devorat Orbem.

Quis ſcopus tandem Veneri? impudicæ
Hinniunt Urbes, veluti ſalacem
Mulus ad mulam. quota, dic, Virago eſt
Soſpite Lauro?

Mentis abſtruſas maculas ſilebo
Cognitas ſoli ſpeculæ Supremæ.
Has DEUS novit. Satis eſt, aperta
Probra notâſſe.

ODE XXXXV.

ENTHUSIASMUS AUCTORIS,

Cùm Peccatorum in hac terra felicitatem expendens In illa verba Pſalmi 36. verſ. 36. incidiſſet:

Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum, ſicut CEDROS LIBANI, & tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.

FUndata Sors eſt proſpera ſontium,
Affixa clavis, ne fugiat procul:
Nam,

Nam, quicquid optant, consequuntur,
Quicquid avent, referunt scelesti:
Majora votis possidet impius;
Fartâ crumenâ, conjuge, liberis,
Domóque plenâ dignitatum,
Delicijs fruitur trecentis:
Lautâ saginâ vescitur, & dape,
Habétque in annos plurima plurimos
Parata curâ providenti,
Ne minimâ sibi desit horâ.
Justus vicissim corripitur malis
Plus quàm ducentis: vellitur, angitur,
Luctáque Fortunæ sinistræ
Fessus, humi moriturus efflat
Vix non supremum carcere spiritum.
Non terra mendax, non Superi favent,
Nullúmque sub Phœbo tribunal
Propitium miser experitur;
Contemptus Aulis, cêu laceræ solet
Cento lacernæ, spernitur, & joco
Exsibilatus fit facetæ
Materies inimica genti.
Hanc conspicabar gliscere fabulam
Passim per Urbes, oppida, prædia,
Ubique lactari scelestos
Delicijs, titubare justos;
Sinistra cùm mens, sed pede laneo,
(Ut omnis effrons assolet Hæresis)
Irrepsit in pectus, profanam
Fraude tegens reverente vulpem;

Num

Num providentis consilio DEI
Mundus subesset, qui sineret premi
Tot innocentes, ánne justus
Arbiter is foret, atque Prætor,
Qui perpetratum sterteret ad nefas
Obliviofo nescius otio?
Num fortè Personæ studeret,
Et sceleris melior Patronus,
Quàm munerator Justitiæ DEUS
Rectè Supremi munera Principis
Obiret in Mundo regendo
Supplicij piger executor?
Hæc cogitabam, sed quasi somnians,
Non crediturus. mox repuli dolum,
DEUMque fassus, ter Supremo
Asserui Regimen Monarchæ,
Vastúmque dixi non sapientiùs
Hunc posse Mundum, quàm regitur, regi,
Quandoque prudenti scelestis
Consilio tribui favorem:
Exile Cœlum sontibus hîc dari:
In Orbe sperent ut nihil altero,
Recepta merces hîc parato
Penditur officiosa numo.
Progressus ultra, Judicijs DEI
Dulcè immoratus, terribilem statum
Vidi impiorum. persolutis
Delicijs, veniente morte,
Recalcitranti quid pede proderit
Calcâsse Divûm jura Potentibus,

Cœlúmque, ſancitáſque Leges
Sacrilegâ temerâſſe vitâ
Orbis Monarchis? quid Venus ebrio
Amica ventri? quid diademata?
Quid per voluptatum Roſeta
Indomito volitâſſe collo?
Quid Regi iniquo, ſanguine pauperum
Vix non crepanti ſcrinia proderunt?
Sudore turgent ſubditorum,
Et querulum redolent metallum.
Tunc inquietis incipiet ſtatus
Curis moleſtus; tunc Stygij dies
Senſim videndos ſe propinant,
Cùm gelido pede Mors propinqua
Fores ſeveris pulſibus increpat,
Infráque ſpondam Tartarus igneo
Specu dehiſcens ſulphuratum
Ore cavo reſerat baráthrum.
Tunc ſera vitæ linea, & ultimus
Horæ ſupremæ prodet anhelitus
Vitam priorem, turbulento
Quàm trepidi moriantur œſtro.
Vovere quid tum tota Sacraria
Heris ſceleſtis proderit, aut DEUM
Ambire votis, & paciſci,
Ut modicos liceat per annos
Durare vitâ fortè ſuperſtite,
Ut nempe votis intereant ſuis?
O! quàm timendum, ſera ne ſit
Illa pigræ Metanæa culpæ.

Ut fax,

Ut fax, sereni Cynthia vesperis
Fulget, nitenti prodiga lumine,
Sed cuncta lustrans, tabefactâ
Emoritur viduata cerâ,
Suísque se se funerat ignibus,
Sic, qui caducis perfruitur bonis,
Famáque plenus fulgurante
In facie dominantis Orbis
Excellit omnes, divite sæculi
Se se trucidat denique copiâ.
Extincta stat muco lucerna,
Quæ vigilì nituit favillâ.
Repente fallax gloria palluit
Inerte mortis pulvere condita.
I, quære peccantes. eundo
Invenies, redeundo perdes:
Heri fuerunt, non hodie. Thronus,
Throníque pullus, ceu Phäeton rudis
Auriga currûs, corruêre.
Una duos ferijt ruina.
Proh! quantus horum jam numerus jacet?
POMPEIUS, Orbis cuî fuerat pila,
Haustus procellis, cœna pisci,
ANTIOCHUS data præda vermi est.
In Astra surgit dum furor impius,
Verrit profundam supplicijs humum.
Ex asse nequam JULIANUS
Sidereâ perijt Sarissâ.
Cedrum Cupressus perculit. Et, quibus
Angustus Orbis, Sarcophagus sat est.

Hæc meta mortales triumphos
E tumulo manet emicantes.
Emuncta filo Clepsydra pendulo
Fatalis horæ gaudia sustulit,
Finem dierum floridorum.
Mors, tragicus sceleris Choragus
Invexit Orcum. fabula desijt.
Ibi Potentes damna potentia,
Et mille pœnarum flagella
Indomito patientur igne.
Beatus ille est, qui mediocribus
Contentus isthîc, criminis integras
Dispensat horas: non sepulcrum
Is metuet, Stygiúmque fumum.
Frustra salutis nititur anchorâ,
Serúsque Phryx est, quem petulantiæ
Post frigidas busti favillas
Pœnitet, aut juvenilis ævi.
Tunc nec labori fertile prœmium,
Nec pulcra Marti restat adorea,
Nec pacta virtutem coronat
Laurea post tumuli Cupressos.

ODE XXXXVI.

ODE XXXXVI.

Pecuniam olim jam in munitissimas Civitates & ipsam Turrim Danaës ingressam, vel ipsius Horatij testimonio Lib. 3. od. 15. comprobatur.

FRustra continuo cingimus ambitu,
Murorúmque serâ claudimus oppida.
Turrito clypeo fortia Principes
Frustra mœnia ponitis.
Actum est, si tenuis rima peculio
In muros pateat, quod nitido linat
Præfectum spolio. nil situs ampliùs
Munito tribuet loco.
Quid prosunt solidi cespitis aggeres,
Quadratúsque lapis, fossáque plurimo
Restagnans fluvio, si pereat fides
Converso in pretium Duce?
Aurum per medios ire satellites
Audax, ipsa suo marmora Caucasi
Emollit radio, mox pede laneo
Post se perfidiam trahit:
Reginæ patula est porta pecuniæ,
Si transire velit, libera transeat!
Non obstant vigiles, sed placido sinunt
Illam irrepere tramite.
Corruptus croceo lurco numismate
MISENUS speculans non solitâ tubâ

Inclamat dubij militis agmina,
Sed fraude insidias tacet;
Non cives socios proditor advocat,
Ut vallis caveant. insuperabili
Sic portu & pelago sic RHODUS excidit
Præfecti ob spurium lucrum
Demersa excidio, non revocabili
Urbis transfugio. Testis HORATIUS
Olim jam meminit prodita mœnia,
Et fractam pretio fidem.
Non sic ad solidas itur adoreas.
Non istis emitur divitijs honos.
Mercari nitidam sanguine gloriam,
Non ære illicito, decet.

ODE XXXXVII.

AD FACATIUM MUSSUM

Ut à Detractione sibi caveat, ac vicissim Detrahentium labra æquo animo ferat.

QUisquis sereno vis speculo frui
Mentis quietæ, nec lemures pati,
E mentis excelsæ theatro
Despice finitimos tumultus,
Dum Zoilorum turba solutior
Famam caninis dentibus exedit;

Ne tu

Ne tu dicaces Psittacorum
Aure juva bibulâ susurros:
Discede campo, sanguine qui natat
Fratris perempti. vulnera palpebris
Clausis honora, pertinaci
Auriculas adamante claude,
Tanquam marinas æquore Virgines
Scires propinquas, Oceanitidum
Totum Gynæceum Dearum,
Et reliquas Thetidis Sorores,
Quæ fascinatos æquore navitas
Obliviosis mortibus admovent,
Aurésque inescatas sonoro
Naufragio, interitúque plectunt.
Ne tu Leones, & (rabidum genus)
Diros Molossos suscipe verbulo:
Audaciores, audiente
Vel minimo, levitate fiunt.
Horre crabrones; ulceribus sedent,
Aut semiputri sæpe cadavere,
Sordésque rostro persequuntur,
Aut luteas redolent paludes;
Extingue mucos, de face qui cadunt
Fumante: justis non placet hic odor.
Audire laudes, non patrata
Facta placet scelerata, fratrum.
Sed nec, FACATI, cùm tua pectitur
Fama improborum dentibus, aut labris,
Ulciscere insani Popelli
Invidiam gladio parato.

An, ſi jocoſo te ſale quiſpiam,
Aut largo aceto perfricuit, rogos,
Ferrúmque conclamabis, amplam
Materiam tragici cothurni?
Es Chriſtianus. non mea, nec tua
Eſt, ultionem reddere, Curia,
Sed judicis munus Supremi:
Ille ſcelus gravitate plectet.
Latrante pugnax ſtat ſonipes cane,
Nec arroganti Marmaricus Leo
Reſpectat obtutu, frementi
Dum rabie blaterant Lyciſcæ.
Exerta bilis non decet Hectores,
Iræque viles: namque quid attinet
Ætnâ, vel ignito Veſevo
Tam faciles abolere culpas,
Quarum ſub imo pectore te tua
Mens ipſa teſtis conſtituit reum?
Quam proprio indulges pudori,
Cur alijs veniam negabis?
Fluxere necdum vulnera ſanguine
Inflicta famæ dentibus invidis.
Cur ergo fundes non profuſum
Immerito gladio cruorem?

ODE XXXXVIII.

ODE XXXXVIII.

Minimæ SOCIETATIS JESU à D. IGNATIO fundatæ & Persecutionibus amplificatæ SYMMETRIA commendatur & contra Malevolos defenditur.

TAndem ſupremo tempore ſæculi,
Cùm jam fatiſcit Mundus, & ultimus
Impendet ictus, cùm ruinam
Decrepitus meditatur Orbis,
LOYOLA miſſus fortior HERCULES
Suſtentat Orbem dote ſcientiæ,
Quâ vapulârunt Ganneones
Hæretici, tumidæque buccæ
Silere juſſæ. protulit Ordinem
Ad uſque fines æquoris ultimos,
Prudentiâ quem fabricatus
Creditur, æthereóque ſuaſu.
Quæ norma rerum, quæ ſapientia eſt,
Sanctúſque fervor? cætera vertici
Devincta parent eleganti
Obſequio ſtudioſa membra.
Miratur Orbis, poſſe tot inclytos
Nutu Jubentis circumagi Viros
Virtute adoratos & arte,
Moribus, ingenióque magnos.

Quàm pulchra caſtis vinea ſtat botris?
Quàm providentem conſcius addidit
LOYOLA cultrum, quo nocentes,
Aut ſteriles reſecentur ulmi?
Pertæſus omnes Ordine carceres
Nil tale ſanxit. conſuluit reis:
Quiſquis peroſus diſciplinæ eſt,
Porta patet: CATILINA vade!
Ejecit omnes, cêu mare, mortuos,
Gemmis retentis, quæ tacito manent
Fundo quietæ. turbulentum
Si caput eſt, renuénſque frangi,
Et longiori tempore pervicax,
Volente tollat Præſide, quod ſuum eſt,
Et vadat. IGNATJ Parentis
Non fuit is genuina proles.
Quàm cavit Aulis, cavit honoribus,
Ne quà protervus gliſceret ambitus?
Quàm Purpuratos is galeros
Deſpiciens, nitidáſque mitras
Suâ remiſit longiùs à domo,
Muróque poſtes ſepſit aheneo?
Stant pertinaci ſancta voto
Limina, ſtant adamante cluſa.
Hinc ſanctitatis fama ſequens Virum
Ubique Magnum prædicat. hâc Fides
Stetit Columnâ. diſſipatas
Spes ſolidans titubantis Orbis,
Veróſque ritus, & reverentiam
Summi Monarchæ, contudit Hæreſin,
Clavá-

Claváque porrexit Draconem
Indomito tumidum venono,
Stellas trahentem non numerabiles
Victrice caudâ: quàm procul it dies,
Porrecta Majestas Tiaræ
Triplicis, & diadema PETRI.
Scholis apertis prodijt agmine
Dux erudito. constitit, arduus
Campum tueri, perfidósque
Certus agro tumulare sensus
Prostravit hostes Marte scientiæ,
Victor Lyceis undique splendidis.
Placet cruentis interesse
Vulneribus, calidísque pugnis:
Vides, ut armis Sole rubentibus,
Et incitato ferveat impetu
Amor sciendi, bellicosis
Ut coëant animi palæstris?
Ut tela stridant aëre pendula,
Ut scuta multo vulnere lubrica
Reverberent hostem nocentem,
Et solidos populentur ictus?
Vicisse fucos haud satis est semel,
Et discolores fraudibus hæreses.
Perennat ingens officina,
Sospite continuanda ferro:
Recente semper Pallade Bellicâ
Defessa Uirtus excipitur novâ,
Regnúmque floret literarum,
Et facies sapientis Orbis.

Doctrina nullo pacta peculio
Perinde Crœſo pervia, cêu Codro eſt.
Promóta quot ſunt ruſticana
Ingenia, & ſteriles crumenæ:
Qui perſtitiſſent ſordibus obſiti,
Iri futuri, munere Palladis
Graſſati ad altas dignitates
Nunc patrias moderantur Urbes.
Hinc fama totum manat in Ordinem:
Sed & frequenti fabula Zoilo,
Proſciſſus hoſtes experitur
Innumeros, rabuláſque ſalſos:
Nam parte quavis plurimus irruit
Convitiator dentibus improbis,
Faucéſque potatas veneno,
Et ſtomachi malè concoquentis
In innocentes exonerat lepram.
Acerba ſed nil crapula proficit,
Nil vappa livoris ſiniſtri,
Nil inopis cerebri ſupellex
Tam ſumptuoſis prodita jurgijs,
Eviſcerato nata GIOPPIO.
Fautoris Orbis poſſidemus
Judicium meliore voto.
Aſtris triumphat divite gloriâ
LOYOLA, palmis & titulis ſatur,
Ridétque Ariſtarchorum acutos
Duplice Rhinocerote naſos,
Ordóque perſtat, grandine cêu crocus,
Immenſa paſſus, nec Tolerantiam

Con-

Confregit exorto tumultu
Hactenus insipidi Popelli:
Majórque ab ipsis Relligio malis
Surgens, polita est ampliùs, æs velut
Examinatum ter camino
Fert decus, & pretium est probari.

ODE XXXXIX.

Charitas fraterna & Religiosa societas, ac familiaritas Religionum commendatur.

QUi MALA vidit divite mellea
GRANATA succo, tótque cubicula
Gemmis trecentis destinata,
Unanimi recubante prole,
Is Charitatis symbola noverit.
Plures in unam Relligio Domum
Amore solo convocatos
Educat, & similes colore
Fratres ijsdem vestibus induit:
Omnes amici sunt sibi, pectore
Omnes aperto, mutuísque
Officijs, animísque juncti.
Amor potenti fœdere glutinat
Omnes in unum. corpora plurima,
Sed una mens est, & voluntas
Pacifico dominata nexu.

Si re-

Si rebus anceps in trepidis opem
Fortuna poſcat, ſubſidio eſt Amor;
Si Sors novercalem minetur
Sævitiam, tragicúmque caſum.
Eſt, qui ruentem fulciat impetum,
Rebúſque pandat depoſitis ſinum,
Blandéque ſolatus dolentem,
Condoleat, ſociáſque curas
Ad ſuſtinendum porrigat alveum
Fati irruentis. dividitur dolor,
Excuſſus in palmos amici
Fit levior geminis, ferendo.
Neceſſitati conſulit aſperæ,
Rebúſque mœſtis, qui ſocios ſibi
Adſciſcit in lucta probatos.
Si triplici coïere fune
Mentes amicæ, fidáque robora,
Non certet illis ENCELADUS Gigas.
Exercitu nullus ſubacto
EURIALOS ſuperabit orbe:
Succurrit Atlas fortior Herculi,
Feſsúmque Atlantem ſurrigit Hercules,
Attemperatas partiuntur
Obſequio famulante vires.
Quis vulnerabit, ſi clypeum tuus
Manu prehendens obijciat comes?
Si morte Oreſtes fœderatus
Sit Pyladi, Pylades Oreſti,
Uterque vincet. Scimus, ut inclytus
Amore NISUS ſe ſtiterit Vadem

Pro

Pro constituto jam sub ictu
EURIALO, dubiæque vitæ
Oppignerato sanguine caverit:
Plus usitatis impigra legibus
Præstat sub una disciplina
Relligio, studiosa nexûs,
Opísque mater conscia mutuæ.
Cêu membra sese corporis omnia
Amore pacto prosequuntur,
Ut capiti, stomachóque læso,
Et delicatis partibus annuant;
Sic servitutis prodiga Charitas
Amore fervens eruditis
Instruit obsequijs alumnos.
O te beatum, qui socios tui
Nactus doloris, cum reliquis doles!
Infausta contra solitudo est,
Quæ famulâ caret orba dextrâ.
Si mæror atris nubibus ingruat,
Umbræque pectus luctibus occupent,
In cujus is molli nocentem
Parturiet gremio dolorem?
Si Sors ab alto præcipitem gradu
Ad despicatas egerit incitas,
Quis è ruinis vindicabit
Instabilem, mediáque fœce?

ODE L.

ODE L.

Deſcriptio nuperi Terræ motûs per Tirolim.

INauſpicato tormine febriens
Concuſſa Tellus ſubſilijt jugis,
Triſtíque delectata motu,
Marmoreis dominata conis
Ipſas choreis prolicuit petras,
Fundóque movit. culmina montium
Impluta conſtanti pruinâ,
Et niveo veneranda calvo
Ad prima motûs nuncia candidam
Raſere frontem. lubrica nix ſuâ
E ſede ſtridens devoluta
In bibulas cavitate valles
Ceſſit tremori, Vere ceu novo
Ros vulneratus ſole reciproco
Deſcendit in planum, eliquatâ
Materiâ, vehemente bombo.
Manſuetiorum marmora rupium
In fruſta rimis diſſilientia:
Senſere Telluris receſſum,
Et tremulos uteri tumultus.
Damæ fugaci præcipites pede,
(Perterritorum grex animalium)
Miraculo terræ labantis
Attonitæ metuere caſum.

Celſis

Celsis sedentes montibus arbores
Passi virentem vertice pileum
Sibi moveri, terrefactis
Artubus increpuere ramos.
Hæc gesta in alto. vallibus infimis
Sævitum in Urbes. Nobilis OENIPONS
Quassata, cêu cunæ moveri
Arte solent in utramque partem.
Clades caminis sponte ruentibus
Illata. Templis insidians malum
Succussit arcus fornicatos,
Et lacerâ malè sarta fronte
Hiulca rimis culmina propulit.
Ubique clamor lugubris, & fuga
Effusa in agros, ne sepulchrum
In media reperiret Urbe
Deprênsus arctis incola compitis,
Hinc inde tignis mole cadentibus.
Ingressus Halam motus ingens
Deteriùs laniavit urbem,
Ædésque plures diruit ad solum,
Celsámque Turris Pyramidem suâ
E sede luxatam revulsit,
Cêu meteret caput ense lictor.
Fractis fenestræ tinnierant rotis,
Et comminutum supplicio vitrum.
Clangénsque campanum metallum
Auxerat insolitum timorem.
Nox ipsa primo cæca crepusculo,
Et somnolenti purpura luminis

Matura

Matura necdum, Sole merſo,
Addidit exitio tumultum.
Non ſeminudi corporis incolas
Narrabo cives, non profugas ſuâ
Cum prole matres, pendulóſque
Uberibus trepidis puellos.
Fugêre plenis agmina cœtibus,
Cêu victor hoſtis vî gladij furens
Cepiſſet Urbem, vel Tyrannus
Sanguineo volitaret enſe.
Stantes amænis collibus incolæ
Charæ dolebant funera Patriæ,
Domóſque ſtratas, vel potente
Deliquio, tumulo propinquas.
Per arva Lymphæ ter pede vitreo
Queſtæ dolorem, ſubſilientibus
Undis in altum, ponderato
Chloridis intremuere Regno;
Vix ſe ſtaturos ceſpite ſtipites
Et arbutorum crediderant trabes,
Radicibus motis ſupino
Ore ſolum propè baſiatæ.
Non vota canto, quæ, tremulâ febri
Durante, ſuaſit dira neceſſitas:
Facunda dictatrix bonorum
Sæpe preces, veniámque noxis
Cœlo expetivit, crimina diluit,
Geſtúque tendens ſupplice brachia
Terræ quietem poſtulātam
Ingeminans, retulit precando.

ODE LI.

ODE LI.

Anachoreta quiſpiam creberrimâ Veneris tentatione erga Puellam quandam petitus, ut vinceret, mortuæ ejuſdem puellæ cranium ac caput ſemiputreſactum ex tumulo accipit, & defluentem ſaniem ori infert.

DEæ ſalacis ſpicula ſenſerat
Antri Colonus. nam Venus undique eſt,
Urbéſque non tantùm pererrat,
Sed nemorum quoque luſtra viſit,
Et fraudulentis retibus illigat.
Ægrè jocoſo reſtiterat malo
Vir carne quamvis macerata
Eſurie, vigilíque nocte
Vitam ſevero corpore traxerit.
Quid delicati corpore ſentient
Roſarum amici, quid Gnathones
Molliculi, Veneriſque turdi,
Si ſylvæ alumnus talia ſentiat?
Illi tuendam Morpheus (impius
Imaginum pictor nocentum)
Obtulit in tenebris puellam:
Recurrit effrons ſæpius in die
Id penicillum dæmonis, & typus
Laſcivus

Laſcivus hærens pertinaci
Effigie referebat Hydram
Pellace formâ. territus icone
Heros protervâ reſpuit, exſpuit,
Lumbóſque ſetis alligatos
Increpuit, cupidóſque renes
Mulctans catenis, edomuit flagris
Recalcitrantem fomite beſtiam.
Cùm nil valeret tam potenti
Terribilis medicina frœno,
Robuſtiorem mente agitans modum,
Artémque prorſus non imitabilem,
Acceſſit ad functæ ſepulcrum,
(Mortua jam fuerat puella)
Ejúſque Calvam ſemiputrem ſitu,
Stillantem amurcâ detulit ad nemus,
Inde auſpicaturus triumphum,
Si Cyprius redijſſet hoſtis.
Effluxit arcti portio temporis;
Paſſus moleſtam rurſus imaginem
Cuſtos eremi, floridæque
Illicium juvenile formæ
Quid hæſitamus? cur trahimus moras?
(Exclamat Heros) quin caput oſſeum
Oſtendimus monſtro petulco,
Ut niveo bene ſit pudori.
Hæc elocutus promit idoneam
Scenæ figuram. nec mora: fœtidam
Sorbet mephitin defluentem
Ex cranio, ſaniémque lambit.

Laſci-

Lasciva quòd si tam placeat Venus,
Aut fornicari propositum tibi est,
(Athleta subdit) constitutum
En stabulum! stabulíque Sponsam!
Crimen parato conficies fimo,
Novísque sordes sordibus imbues;
Istis voluptas condienda
Delicijs, sapidóque tabo est:
En! quæ solutis vermibus innatat,
Illa illa forma est tam venerabilis,
Quæ pectus inflammans amore
Continuâ tibi fumat Ætnâ:
Cum morte pecca, si tumulus placet,
Et fœculento nube cadaveri,
Tabóque corrosam Medusam
Junge tibi colubris adesam.
Hæc ore fatus masculeus Pugil
Stagnante rursus se cranij leprâ
Lautè saginans, purulentum
Dentibus occiput involavit.

ODE LII.

In quempiam Pseudo Theologum Hæreticum pijs scriptis, ac Manibus defuncti P. LAVRENTII FORERI obstrepentem.

INsane Mastix dente FORERIUM
Serò lacessis, pessimus optimum,
Confes-

Confeſſa res eſt, quòd phalanges
Hæreticas ſolido Gradivo,
Et Marte docto malleus Hæreſum
Denſata gentis fregerit agmina,
Paſsúſque nullas ſtare fraudes
Contuderit folioſa monſtra,
Tinctáſque multo dipſade paginas.
Jam conquievit fine ſacerrimo.
Larvas flagellas, mortuíque
In jugulum, truculente, ſævis.
Túne improborum dedecus anſerum,
Pacem ſacrorum vertere Manium,
Turbare functorum quietem,
Inque ſacras penetrare foſſas
Audes acerbo præco volumine?
Túne in ſepulcrum irrepere ſplendidum?
Sudore tanto præliato
Serta Viro, rapiéſque Lauros?
Aſſueta jam non prælia conſerit,
Hoſtíſque neſcit ludere ſpicula
Reciproco ſcripto, nec, ipſe
Si ferias, referire novit:
Liganda morti brachia tradidit,
Manúſque fato. ſepia mortui
Torpeſcit exſucco liquore,
Nec calamo prius eſt acumen:
Dos mortuorum prima, ſilentium eſt.
Æternitati plura volumina,
Libróſque vivens exaravit
Ingenitâ ſolidos medullâ.

Si quo

Si quo petendus dente fuit, fuit
Vivus petendus Marte FORERIUS.
Reverberâsset dicta dictis,
Facta, dolo crocitata, factis.
O si superstes viveret! ut Tibi
Is versipelli detraheret cutem?
Venabulo quàm te cruento
Vilem homulum laniaret Heros?
Evisceratis deterior tibi
Figura ranis, & species foret,
Aut pelle mulctato juvenco,
Qui patulo rubet in macello.
Verùm supremâ morte quieverit,
Est, qui jacentem præsidio tegat,
Pióque Manes vindicatos
Asserat, incolumíque famâ
Doctos honori restituat libros.
Contentioso non valet obrui
Livore Virtus, nec sepulcro
Integritas violatur ullo.
Quantum libebit, perfide ringere!
Tacet FORERIUS, mortuus eloquens.
Rumparis, esto! fer monetam
Non aliam, nisi fortè risum.

ODE LIII.

D. FRANCISCUS XAVERIUS Saeculi nostri THAUMATURGUS grassante peste NEAPOLI Propitius solennissimè in Urbis Regiae PATRONUM electus.

URbem potentem lurida carnifex
Pestis, vorandam sumpserat integram;
Malúmque serpebat rapaci
Ingluvie, stabilíque leprâ.
Pigro ingravescens aëre cruditas
Periclitato torpuit halitu.
Sorpsere mortales venenum
Ex patrio populare Cœlo,
Et devoratâ continuò lue,
Cessere vitâ languida corpora;
Sparsi plateis, obviísque
Exanimes jacuere vicis;
Hærede tabo sparsa cadavera.
Iit per omnem terribilis fames
Lethi nocentis Civitatem,
Et mediam tumulavit Urbem.
Eundo crevit pestis inertia,
Vespillo morbus: trux violentiam
Ostendit omnem prostituta
Nobilibus Libitina ceris,

Quæ

Quæ despicatas præteriens casas
Hausit veneno celsa Palatia,
Domósque Magnatum superbas
Extulit irreverente morte.
Edentulorum Larva cadaverum
Lugubrè ringens vultibus obvijs,
Feralis in membris figura
Refricuit socios dolores;
Fœtore totus tractus inhorruit,
Et vulneratis sidera nubibus.
Non terra suffecit peremptis
Corporibus, putribúsque membris.
Gliscente sed quem peste Machaona
Urbs jam suorum vix cinerum capax
Supplex ad aras invocaret,
Qui furias petulantis arcûs,
Longæque mortis tela retunderet?
Arctâ repertus sorte XAVERIUS,
Qui peste quondam deflagrantem
Prodigio tenuit MALACCAM.
Ne dirus ignis serperet ampliùs.
Stetítque jussus carbo veneficus:
Sensit patronam vix rogatam
PARTHENOPE moribunda dextram,
Et exsolutam supplicibus fidem.
Sensit potentem pœna XAVERIUM
Morata vires pestilentis
Supplicij. celerésque mortes
Tardare jussæ. detumuit malum
Livens veneno, fertile pustulis,

O Corre-

Correctus aër inquinatus
Flagitio putrium vaporum.
Illi at nocentem cur foret arduum
Sedare pestem, calce sub ignea
Cuî corpus incoctum remansit,
Nec solitâ caro fœditate
Solvit tributum funebre pulveris
Impunè fragrans sub tumuli situ?
Qui proprio mortem triumphans
In solio, domuit sepulcrum
Necis supremo vespere pulcrior?
Qui jam sepultos de gremio scrobis
Miraculo extractos in auras,
Bis genitos revocavit Orco?
Hinc ille plausus de cinere, & specu
Urbis renatæ: grandia prædico:
Vastos Colossos germinante
Passim hederâ, folióque cinctos:
Theatra celsis obvia nubibus,
Altîque narro saxa supercilî;
Auro figuras liberali,
Nobilium specuum metalla
Formosâ in aris luce flagrantia:
Noctes diurnas artifici nitro,
Et inquieto fulminatas
Sulphuris ingenio tenébras,
Ignésque festos, mobilium facum
Ludente gyro, lætáque murmura
Tonantis æris militaris,
Ventre cavo reboante bombo.

DIVUS

DIVUS recenti fusus imagine
Loci PATRONIS additus audiet
(Dum Mundus hic stabit rotundus)
Magnificæ Benefactor Urbis,
Pestísque Victor celsa tuebitur
Alluta Ponto mœnia, nec sinet,
Ut morbus inscendens in Urbem
Præteritas populetur ædes.

ODE LIV.

Miserrimus Indiæ Status Hæreticà & Piraticà navigatione perditus, sublatà inde verà Fide, inductisque sectis deploratur.

PArs illa Mundi, portio nobilis,
Quà delicatam mollis amœnitas
Sedem locavit, quà beato
Continuus Paradisus horto
Nullo per annum frigore plectitur,
Mutata quantùm, dissimilis sibi este
Ex quo nocentes Institores
Huc avidis coiere velis,
Adulterinis arsit amoribus
Libido frœno libera, & insolens
Benigniorum ferre frugum
Delicias meliore Cœlo

Se mersit altâ Cypride Natio
Vagâ procandi sparsa licentiâ,
Ruptísque cancellis pudici
Connubij, thalamíque lege,
Cêu conjugatum nil foret, aut sacrum.
Quæ Lusitanis cum ratibus venit
Labore multo seminata
Relligio, Superúmque cultus
(Magni XAVERJ partus) ab integro
Totus revulsus. sustulit Hæresis
Fidem relictam. Christiani
Nominis indecores Agyrtæ
Vertêre sacros cum domibus lares,
Ipsásque templi funditus areas.
CALVINUS inductus, scelestæ
Sacrilegus Popa nationis.
Profana tota est ora TRAVANCORIS,
XAVERIANIS culta laboribus:
Sudore perplutus profuso
Se BATAVUM stupet esse MAURUS.
Pessundatarum squalor Imaginum,
Et dirutarum rudera turrium
Ubique cernuntur scelesto
Mortua procubuisse busto.
Istáne causâ visimus advenas,
Toto diremptos æquore Barbaros,
Ut arma Regnis inferamus,
Et populis truculenta bella?
Per ferrum, & ignes, per mare, per Notos
Ignota Mundi claustra refringimus,
Ne de-

Ne desit impuris Libido,
Néve dapes locuples avaris.
Gens illa vastis effera moribus
Damnata ad orbis, quà patet, angulos,
Portenta conspexit Cyclopum,
Atque homines styge nequiores.
Cur Scylla sævas, dum veniunt scaphis,
Non armat undas vortice spumeo?
Fluctúque jurato carinas
Flagitijs gravidis resorbet?
Cur non dehiscit faucibus in scrobem
Aprica Tellus, & sepelit reos,
Sontésque Nautas, Christianæ
Dedecus, opprobriúmque Gentis!

ODE LV.

D. FRANCISCVS XAVERIVS Venetijs Elephantiaco purulentum ulcus exugit.

INgressus ædes fortè XAVERIUS,
Et Hospitalis Gymnasij domum,
Palatium pestis, ducentos
Quod recipit populare morbos,
Contaminato quod grege Turpium
Scatet Virorum, putrida quos lues
Erodit, & turpi notatos
Luxuriâ, sanie trucidat,

Vidit cadaver, vix hominis typum,
Turpémque vultum, squalida cuî cutis
Contracta rugis, squammeisque
Horruerat maculosa peltis.
Exesa membris jam caro fluxerat:
Prurigo totum glutine plurimo
Jam corpus incrustans sepulchro
Larvam hominis nece præparabat
Cras inferendam. morte XAVERIUS
Motus pudendâ constitit, & sibi
Austerus ingens imperare
Proposuit, subitúmque factum.
Dum cura pectus magnanimum coquit,
Exardet ignis nobilis amplius:
Deliberato mox calore
DIVUS adit, cupidúmque fæcis
Os ulceratis artubus applicat,
Trahit sequacem cum sanie lepram,
Et dente mansum carcinoma
Putre bibit, rebibítque vappam.
Sapit potenti crapula sordium
Suscepta facto. Mox revalescere
Notatus æger restitutam
Debuit antidoto salutem,
Et Helluoni tam celebris gulæ
Vitam propinquâ jam tremulam nece.
In sanitatem, dum stat Orbis,
Nemo bibit meliùs, XAVERO.

ODE LVI.

ODE LVI.

HORROR AUCTORIS

Cùm in Libro Inferni R.P. HIEREMIÆ DREXELIJ Pœnas Infernales descriptas, ac depictas legisset.

NUlla vis terris adeò severa,
Nulla nostratis laniena flammæ
Tanta, quæ possit stygio cremare
Par Elemento.
Quicquid antiqui cecinere quondam
Fabulæ sæcli, leve cogitetur.
Nil Promethæi jecoris cruentus
Helluo vultur,
TANTALI nil est avidus fugaci
Ramus Autumno, neque fraudulento
Lusa Neptuno sitis, aut dolosi
Pœna racemi:
Nil tua, IXION, rota pertinaci
Mobilis gyro, volucríque cursu
Ulta lascivum Caput, & salaces
Principis artus.
Tempus hîc nullum. rediviva pœnæ
Pœna succedit, spatiúmque nescit
Carcer æternus, scelerísque lictor
Igneus Orcus.

Damna fœcundis iterata damnis
Pullulant in ſe, relegúntque vires,
Et fatigatum ſatiant recenti
Vulnere ſenſum.
Angulo quicquid Stygio malorum
Cernis, æterno eſt adamante cluſum.
Multus ingreſſus patet, at ſeratâ
Exitus omnis
Siſtitur portâ. ſemel huc profectus
Non revertêris diuturnus hoſpes:
Nec via hîc Thebis datur, aut Athenis
Mutua Thebas.
Quo ſitu truncus cecidit, jacebit.
Quâ viâ crevit vitium, luendum
Et pari pœnâ eſt. ſcelus & tribunal
Fine carebunt.
Penna, cur hæres numerare ſeri
Carceris mortes, tamen abſque morte?
Et flagraturos ſtygio nocentes
Sulphure Manes?
Viſcera hîc lentos penetrans per artus
Igneus torret vapor immorante
Oſſibus flammâ: gradiendo ſerpit
Latiùs ardor:
Multus hîc plumbi fluvius liquati,
Lubricus flammis, oleóque ſaltans
Fervor iratos pice delibutus
Colligit ignes.
Ille ferali lacer in cataſta,
Hic pice aſperſus, fluidáque cerâ

Inge-

Ingemunt pœnis: liquidum metallum
Tertius haurit:
Hic veru indutus miſer ad recentes
Vertitur prunas, tremulóque motu
Palpitans flammas adipe irrigatas
Sumine paſcit:
Ille crudeli memorandus æſtu
Crate torretur, velut in culina
Alitum, pingui redolente fumo,
Viſcera ſudant:
Iſte detractâ cute, cêu macello
Saucius Taurus redit, & rubente
Pallio ſtillans trahit ulceroſæ
Syrmata pellis:
Ille jam ferro, face, jam ſubactus
Durat in centum recidivus ictus:
Iſte ſublimi ſpeculâ ſtatutus,
Indéque præceps
Actus in vallem fugiente clavos
Induit tergo, malè vulneratis
Saucius membris novus in recentes
Sufficit haſtas.
Quid fame enectos querat, & ferino
More, ſerrato perijſſe dente
Integros demum ſibi reſtitutos,
Priſtina paſſos?
Quis venenatos numeret dracones?
Monſtra bufonum, penetrant ſceleſta
(Putre cêu pomum carie pereſum)
Corpora vermes:

Emedullatos populantur artus
Igneæ ranæ, requiémque nullam
Conſciæ menti colubri relinquunt,
Atque ceraſtæ:
Nullus hîc ordo, ſed acerbus horror,
Clamor inſani ſtimulus doloris
Perſonat totâ Styge. nil perenni
Triſtius Orco.
Unicam poſcit ſalientis undæ
Helluo guttam: miſer at negatâ
Infremens ſtillâ queritur peruſtam
Sulphure linguam.
Macte! qui vivis, vegetúſque lætum
Sorte circumfers meliore corpus,
Obſecro! non huc venias. manendum eſt,
Si ſemel intras.

A D A

ADAMI WIDL
E SOCIETATE JESU

LYRICORUM
LIBER TERTIUS.

ODE I.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM PATRONAM BAVARIÆ IN FORO MONACENSI MAGNIFICÂ COLUMNÂ PROPITIAM.

Vt Vrbem Monachium deinceps quoque ope ſuâ protegat.

BEata MATER, quæ Monacenſium
Huc uſque forti mœnia pallio
Incincta largo ſoſpitâſti
Præſidio, ſtabilique curâ

Morbos coërcens arma Suëcico
Attemperâsti Marte nocentia,
Negotiatrix gratiarum,
Principe quæ radians plateâ
Stas in Columna celsior aspici,
Urbémque curvo poplite supplicem
A peste defendis Colosso
Aurea marmoreo Archiatra,
Quæ floridarum pectora mentium
Totúmque Regnum pergis ab Hæresi
Servare sincerum, propinquæ
VINDELICAE remorata fraudem,
Ne, pestis instar, noxia serperet,
Et consecratum tingeret ISARAM.
Cùm triste passim carcinoma
Ambederet novitate partes
Adhuc recentes, & lue credulâ
Intacta latè pectora lamberet,
TU fraudium solers Peremptrix
Incolumes retinere Boios
Potente frœno provida, flebilem
Cunctata Scurræ degeneris Fidem,
Sectæque Doctores recoctæ
A BAVARA Ditione pulsos
Haud passa sacro es limite sistere,
Nî ferrum, & ignes, (optima pharmaca
Gliscentis erroris) catastas
Nî cuperent, pede vinciendi.
Intacta per TE stat BAVARIS domus,
Et Aula virgo. cùm reliqui DUCES
GER-

GERMANIÂ totâ venenum
Imbiberent, Regione pronâ
Sequente lapsi dogmata Principis,
Armísque primus cresceret impetus,
Hæc una (flos Provinciarum)
Terra carens viruit cicutâ.
Memento, princeps stare tibi sacrum
Hâc Urbe Templum, fornice maximum,
Insigne par fratrum rotundâ
Fronte Tibi radiare Turres:
Memento, plures hîc Tibi deditos
Servire Cœtus, & tenero suam
Amore Matrem destinatis
Obsequijs colere, ac triumphis:
Nusquam dicatos, quot tibi sunt, dies
Majore vidi luce nitescere,
Foróque pleno feriatos.
Virgineum satagit mereri
Cultus favorem MATRIS AMABILIS.
Omnes PATRONAM TE vocitant suam,
Seu Sorte quassentur sinistrâ,
Seu placidâ foveantur aurâ.

ODE II.

ODE II.

S. IGNATIUS LOJOLA assiduò Cœlum spectans.

ASpice cæruleo camerata Palatia Cœlo,
Latè patentem fornicem:
Aspice stellato laqueare volubile gyro,
Argenteam astris semitam,
Aspice sanguineo pudibũda crepuscula fuco,
Eôa Solis balnea;
Cùm rutilũ prægnans Aurora enititur aurũ,
Pulchrúmque Solem parturit,
Natalíque recens emergit ab æquore proles
Clemente ridens lumine,
Et juvenes radij tremulâ formidine nictant,
Formosa lucis tempora,
Spectator LOJOLA stupet cœleste Theatrum,
Stratámque Cœlis orbitam:
Miratur tabulata cavo crystallina vitro,
Laudat Choragum Phosphorum:
Miratur reducem Solem fumante quadrigâ,
Blæsæ diei lacrymas,
Perplutásque rubore genas, stibióque marito
Solis pudicam filiam;
Miratur profugæ properata volumina noctis
Piscatus Auroram mari: (tis
Cùm se Mima Soror fratris pleno igne micã-
Fugâ ex Olympo proripit:

Cœlo

Cœlo oculos satiat, cupidúsque perambulat
Terram novercam præterit: (Astra,
Degeneres spectare negat LOJOLA penates,
Structámque glebâ fabricam,
Sordentíque fugit conflata mapalia limo,
Cêu Soricum cubilia:
Qualésve humēti limaces phlegmate tornāt
Domos salivæ ductilis:
Suspirat, Cœlúmque gemens, illustria Divûm
Exaggerat subsellia,
Occupat æthereis animata cubilia gemmis
Olim futurus incola.

ODE III.

D. FRANCISCUS XAVERIUS Venetijs Elephantiaco purulentum ulcus exugit.

INgressus arcem sordibus ebriam
FRANCISCUS, ægro corpore plurimos
Invênit, immanes dolores,
Et variâ improbitate morbos.
Hydrope lento naufragus angulo
Primus jacebat. proximus hectico
Exsorptus igni, putrefacto
Corpus hebes glomerans grabato
Pthisi spuebat grandia vellera
Conchyliatis tetrica spongijs.

Uni

Uni cerébrum, cêu Cyclopum
Verberibus reſonabat incus.
Vinctos podagræ compede pollices
Dolebat alter, figere ne pedem
Terrâ liceret, lanceiſque
Pectora perterebrata ſævis.
Tuſſi ſonorâ tertius ingemens
Egurgitabat ſordida viſcera:
Pluréſque veſpillo Catarrhus
Deciduo perimebat imbre.
Aſt æde totâ fœdior omnibus
Languebat unus, depoſitiſſimus,
Ipsíſque inacceſſus MELAMPIS
Jam ſanie viridis pluente
Monſtrabat ulcus fertile ſordibus,
Plenúmque putri vulnus hirudine:
Armatus halans inde fætor,
Naribus intoleratus ullis
Fugabat omnes cominus, eminus.
Nemo propinquus conſtiterat toro.
FRANCISCUS illum conſpicatus
Cor ſibi comperit exilire
Ad grande factum: mox ſibi creſcere
Cernens orexin perſequitur ſuos
Cum bile ſenſus, increpátque
Cêu timidas acie cohortes:
Adeſte, dicit, viribus integris
Vos delicato gutture milites,
Afferte linguam, quæ ſitire
Pus ſciat, & viridem ſalivâ
Flaven-

Flavente nôrit ſugere crapulam:
Natura perſta, nec refugâ gulâ
Liba Mephitin, cêu meracum
Ambroſiæ, paterámque mulſi:
Sta: nec remiſſo felle revertere:
Cœlo propina nobile poculum;
Dabis ſalutem febrienti,
Si putridum bibis ore cancrum:
Amore vitæ quæ medicamina,
Fœcéſque gilvo embammate lividas
Haurire Mortales amârunt
Hactenus, & repetent deinceps:
Et te, XAVERI, gloria Numinis,
Salúſque morbo naufraga Proximi
Ad inclytum te non triumphum
Permoveat, medicúmque potum?
Hæc ille ſecum. mox adit ad Virum,
Et applicando gutture ſtat propè.
Senſit, rebellem ſe movere
Principio vehemente Viſum:
Retróque fugit Guſtus, & arduum
Claudo Helluonem deſeruit pede.
Tactus reluctatus probroſâ
Mergere ſe renuit cloacâ:
Stetere contra quinque ferociâ
Concorde Fratres. Propoſiti tenax
FRANCISCUS exortum tumultum
Edomuit, fremitúmque vicit,
Et contumaces diſcipulos gravi
Mandato adactos pergere compulit
(Con-

Constante ductu ter venenum
Sugere continuámque lepram.

ODE IV.

Humanæ Vitæ Tarditas & Brevitas cum divinis operibus comparata in rebus omnibus lentissima & vanissima esse ostenditur juxta vulgare proverbium:
Ars longa, Vita Brevis.

HUmana lenta est, & patitur moras
Ars pacta tempus. non celeri fluunt
Res officinâ. distinemur
Et solidos populamur annos
Sudore longo: nil facimus simul,
Sed sensim avaro temporis otio
Metimur artes. concitato
Ire negat Phydias Colosso
Cunctante scalpro. deside pauculas
Ducens Apelles tramite lineas
Insumit annos, elegantes
Donec imago bibens colores
Examinato prodeat angulo,
Lucémque cernat. sed DEUS Artifex
Producit uno cuncta verbo,
Imperio fabricatus Orbem:

Potens

Potens Voluntas prolicit omnia
DEI jubentis. Sic viruit simul
  Fœcundus hortus provocato
    Vere celer: Pater ipse primus
Ætate plenâ, viribus integris
Non tardiorem transijt in virum:
  Expers juventutis, puellus
    Non fuit, ingenio capaci
Repente doctus calluit omnia
DEO Magistro. dissimiles Nepos
  Vires adeptus claudicante
    Progreditur violentus ævo.
Ars nempe vastis ampla laboribus,
Et imbecillo vita brevissima
  Suspensa filo, dotis instar,
    Est homini data, quâ superbos
Frangat profundo pectore spiritus.
Imbellis ipsi corpore stat domus.
  Mens nata Cœlis hospitatur
    In luteopatiens mapali.
Nactúsne quidquam roboris est Homo,
Cùm vinci ab ipsis se doleat feris?
  Tremens, fatiscens has in auras
    Proijcitur, tumulúmque primo
Salutat ortu massa levissima.
Formosa primis quadrupedes pilis
  Natura vestit, rostra sculpit,
    Et calidâ Endromidem lacernâ
Natis recenter vulpibus inijcit.
Dentes acutos Lynx habet, & Lupus:

Meles

Constante ductu ter venenum
 Sugere continuámque lepram.

ODE IV.

Humanæ Vitæ Tarditas & Brevitas cum divinis operibus comparata in rebus omnibus lentissima & vanissima esse ostenditur juxta vulgare proverbium:
Ars longa, Vita Brevis.

HUmana lenta est, & patitur moras
Ars pacta tempus. non celeri fluunt
 Res officinâ. distinemur
  Et solidos populamur annos
Sudore longo: nil facimus simul,
Sed sensim avaro temporis otio
 Metimur artes. concitato
  Ire negat Phydias Colosso
Cunctante scalpro. deside pauculas
Ducens Apelles tramite lineas
 Insumit annos, elegantes
  Donec imago bibens colores
Examinato prodeat angulo,
Lucémque cernat. sed DEUS Artifex
 Producit uno cuncta verbo,
  Imperio fabricatus Orbem:

Potens

Potens Voluntas prolicit omnia
DEI jubentis. Sic viruit simul
Fœcundus hortus provocato
Vere celer: Pater ipse primus
Ætate plenâ, viribus integris
Non tardiorem transijt in virum:
Expers juventutis, puellus
Non fuit, ingenio capaci
Repente doctus calluit omnia
DEO Magistro. dissimiles Nepos
Vires adeptus claudicante
Progreditur violentus ævo.
Ars nempe vastis ampla laboribus,
Et imbecillo vita brevissima
Suspensa filo, dotis instar,
Est homini data, quâ superbos
Frangat profundo pectore spiritus.
Imbellis ipsi corpore stat domus,
Mens nata Cœlis hospitatur
In luteopatiens mapali.
Nactúsne quidquam roboris est Homo,
Cùm vinci ab ipsis se doleat feris?
Tremens, fatiscens has in auras
Proijcitur, tumulúmque primo
Salutat ortu massa levissima.
Formosa primis quadrupedes pilis
Natura vestit, rostra sculpit,
Et calidâ Endromidem lacernâ
Natis recenter vulpibus inijcit.
Dentes acutos Lynx habet, & Lupus:
Meles

Meles tuetur ſe cavernis,
Et tumulum eligit in ſalutem:
Urſus comatas ſcandit in arbores:
Pernice curſu præcipitem fugam
Vitæ patronam conſecutus
A facili lepus eſt parente:
Perita roſtri novit acumina
Falco petendis providus Ardeis,
Exítque prædatum ſagaci
Ungue clepax, revehítque prædam.
Quærunt odori paſcua Vultures;
Alterna miſcent cornua Bubali,
Aſtutiâ Vulpes juvatur,
Quâ nebulo redimit ſalutem;
Natus caballus vix ſubit aërem,
Jam, militares audijt ut tubas,
Adhinnit æri bellicoſo,
Poplite quadrupedante ſaltat.
Conceſſa ſunt hæc robora beſtijs,
Ne ſint inermes. Nil homo debilis
Ejuſmodi novit bonorum:
Femineis trutinatus ulnis
Nutricis implet brachia faſcijs,
Mutóque linctu vellicat ubera,
Imbellis appendix parentis
E penore, effluvióque vivit.
Non pellis illi germinat in pilos,
Nec fronte celsâ cornua pullulant:
Terreſtre circumfert cadaver,
Et tenues ſine veſte nervos.

Abſur-

Abſurda primo muſica gutture
Offendit aures: murmurat, ingemit
Damnatus ad fletum Choragus
Impatiens, pluviáſque cunas.
Vix eſt decennis, jam nive candidâ
Hinc inde ſpargi tempora conſpicit,
Tergóque curvo prægravatus
Dinumerat ſilices, & Urbis
Supina ſpectans marmora vertice
Terram ſalutat, cêu Roſa languida
Emortuis pendet capillis
Soſpes heri, folijſque ſana.
I, tam venuſto plaude cadaveri,
Et ambulanti ſarcophago cane
Fauſtum triumphum. pollicere
Mille tibi, Scarabæe, luſtra.

ODE V.

ENTHUSIASMUS AUCTORIS.

Cùm Cœmiterium ingreſſus Calvariarum oſſiúmque reconditorium paulò attentiùs inſpexiſſet.

VUltuum nuper loculum oſſeorum
Vidi, & exhorrens ſpeculum ſeverum,
Floris humani, fragiliſque ſortis
Symbola legi.

Verti-

Vertices omni vacui cerebro
Ore ringuntur patulo. relictis
Dentibus paucis lacerata sepes
Ordine rupto
Finditur rimis. caput osse glabrum
Lambitur musco, gracilíque silvâ.
Larva funestis specubus repôsta
Tristè relucet:
Nil molæ restat facie, solutâ
Dentium serrâ; craniísque cassis
Viperæ ludunt. putria excavati
Rudera vultûs
Incolunt vermes, varióque se se
Anulo volvunt: parasitus anguis
Victitans muco tumuli rotundos
Serpit in orbes:
Intus Harpyis, ululísque diris
Plena caupona est, statióque mortis,
Pessimi nidi volucrum malarum,
Ova Cerastum.
Cæsarem nullum, faciémve Regis,
Virginem nullam, dominámque vidi,
Nec maritatis sibi fœderatos
Ossibus artus;
Neminem Mystam, Laicúmque nullum.
Naribus truncis eadem cavata
Omnibus forma est. sacra cum profanis
Mors fera miscet.
Ossa neglecto recubant cubili,
Cùm strues sectis cumulata lignis.
Frigidæ

Frigidæ ſordent olido fluente
Glutine calvæ.
Quæſij Fratres, Patris & Sororis
Cognitas olim facies: at oſſa
Multa, ſed nulla hîc potui invenire
Ora Parentum:
Nulla conſpexi capita Infulata,
Nec coronatos apices Tiaris,
Principem nullum, Comitem, aut Baronem
Ordine toto:
Viſa tot vaſto mihi ſunt acervo
Oſſa, cêu (lautâ bonitate cœna
Quando finita eſt) cumulata fractis
Fragmina vitris.
O! quot Inferno modò conflagrabunt
(Ingemens dixi dubitante voce)
Spiritus ſontes, Animæque nequam,
Diráque ſpectra,
Hiſce quæ teſtis, luteíſque vaſis
Improbâ nuper latuere vitâ?
Plura confuſis video oſſa coſtis,
Lipſana pauca.
Quæſij magnos titulo ſuperbo
Hîc ALEXANDROS, MARIOS, METELLOS,
Devoratores hominum & ferarum,
Ulcera Mundi;
Repperi anguſti feretri theatrum
Vix capax palmæ. jacuit modeſtis
Pallidus membris gemini inquietus
Helluo Mundi,

Sed

Sed nec armatus: nisi quòd (cruentum
Quando transfôdit fera mors Tyrannum)
Miles infixum patulo reliquit
Vulnere telum.

Dic, ubi nunc sunt HELENAE procaci
Ore formosæ, pretio scelestas
Nundinas pactæ nivei elocato
Flore pudoris,

Illices Orci volucres, sagena
Virginum morum, scopuli innocentum?
Repperi; fœtent, stabulúmque nota
Funera ructant.

Dic, ubi spurcæ Veneris capellæ,
Dæmonis servum pecus, ampliando
Tartari Regno, stygióque sceptro
Apta supellex?

Dic, ubi picto juvenes rubore
Ignei toti, vegetóque moro
Nuper illustres? perijt colorum
Tota juventus.

Dic, ubi vultûs gemini pyropi?
Dic, ubi sanguis nive conjugatus,
Et coronatus duplici pilorum
Iride nasus?

Dic, ubi succus roseus genarum?
Dic ubi falso labra tincta furto,
Sericis pexi laqueis capilli,
Unda comarum?

Dic, ubi vultûs nitidi Planetæ
Castor & Pollux, geminæ fenestræ

Clara

Clara cryſtallus, toties ſceleſtæ
Pervia morti?
Tale nil cerno: glaciata proſtant
Oſſa, ſtipato taciturna cippo,
Nec movent ſeſe, licet irruenti
Pervia vento.
Hæc ego mecum reputans, capútque
Mortui tollens, manibúſque verſans
Marmor inſpexi, domuíque mœſto
Gaudia luctu:
Duplices cœcâ reliquos eremo
Repperi dentes, miſeráque ſede
Ad levem tactum tremulos, vetuſto
Tempore plenos.
Alloqui tandem Cranium illud auſus,
Heus! bonum (dixi) caput, atque Calve!
Quis ſtatus rerum tibi? num beato
Fine quieſcis
Gloriæ compos? agitúrne bellè
Altero Mundo, Patriáque tecum?
Luſtrico perſtas an adhuc camino?
An ſtyge ſudas?
Is ſilens altùm tacitâ cavernâ
Me meæ fecit timidum ſalutis,
Propriæ mortis pavidum, ſupremo
Veſpere cautum.

ODE VI.

Socordia hodierni Saeculi in rebus ad Salutem pertinentib⁹ expenditur juxta aureum THOMÆ KEMPENSIS dictum:

Pro modica præbenda longa via curritur, pro æterna vita vix pes semel à terra levatur. vile pretium quæritur, pro uno numismate interdum turpiter litigatur.
L. 3. c. 3.

NEgotiatus temporibus Noë est
Mundus scelestus, donec ab ebrijs
Descendit astris copioso
Diluvio lacrymata pœna:
Eò usque nuptum est, & pede comico
Pulsata Tellus, saltibus ultimus
Quadrans litatus. tum profunda
Crapula depluit ex Olympo.
Plenum metallo tinnierat forum,
Plures Ementes undique quæstui
Stabant doloso præparati,
Fraudibus impliciti facetis:
Commerciorum larga profusio,
Et ampliandis divitijs labor
Ubique summus distinebat
Sollicitos pretij Propolas,

Adhùc

Adhúcque seri tempore Sæculi
Tam perduellis fabula luditur:
Pro dote, terrenóque lucro
Currimus, erigimur, volamus:
Pro Cœlo, & Astris ne pede dextero
Terrâ levamur corpore plumbei.
Incedimus grallis vocante
Numine, vel propriâ salute.
Jussu profani Principis, impigri
Fœtum metallis perfodimus solum,
Rimamur aurum, fertilémque
Diripimus, renuente Matre,
Ligone ventrem; scindimus impiâ,
NERONIS instar, falce Puerperam.
Capti lucello, splendidáque
Illecebrâ rutilantis æris
Eviscceratis Hesperiæ jugis
Secreta terræ pandimus atria,
Et emedullatâ Tiroli
Ingenuum rapimus metallum.
Labore multo stagnat inutilis
Per ora sudor, salsáque lacryma:
Totum laborat fœderatis
Viribus, obsequiísque corpus:
Si vile munus vix oboli ferax,
Vacétque paucis Sparta teruncijs,
Si lictor in pago, vel Urbe
Ædituus, tenuísque scriba
Repente vitâ fungitur, ocyus
Plus quàm trecenti bolo inhiant proci,

Quærunt Patronos, ut rogatum
Quiſque prior rapiat lucellum.
Vix Sol rubenti prodijt è freto,
Cantante gallo; ſurgitur, ut foro
Piſces emantur, vel minore
Præripias volucres monetâ:
Si liberali fortè pecuniâ
In æde ſacra diribitur ſtipis,
Confertus Ordo eſt. è remotis
Urbibus accumulantur Iri,
Velútque ſturni, millia confluunt,
Impleta Codris limina murmurant,
Circumſonantum inſtar crabronum,
Cùm tremulis modulantur alis:
Claudus podágræ non memor ampliùs
Mendicus illuc ſedulus advolat
Velocior damâ, vel ipſis
Rangiferis, ſubitíſque cervis:
At, ſi precandum eſt vix mediâ die,
Horíſve paucis, deficiunt fibræ;
Cauſamur obſtipos ſiniſtro
Oſſe pedes, ſtupidóſque nervos.
Merenda vilis nos trahit: & ſacra
Fundata longis præmia ſæculis,
Æternitatis nos honores
Non ſtimulant, ut in arduorum
Exſuſcitemur facta Gigantium,
Qui Cœlum adorti ſanguine Martio
Peſſundatis Mundi Tyrannis
Ad viridem emicuere Laurum:

Vitâ

Vitâ profusâ: qui veriti nihil
Molenda sævis membra Leonibus
Dedere, vel flammis coquenda
Viscera, craticulísque lentis.
Quid præstiterunt tot nemorum Patres?
Constante vultûs esurie macri
Nutrice silvâ victitârunt,
Insipidis olerum medullis
Traxere vitam. vix oleum, aut piper,
Quin nec salini commoda noverant
ANTONIUS, PAULUS, PALÆMON,
PACHOMIUS, BOBO, CASSIANUS:
Ad hæc cruento tergora verbere,
Lorísque corpus dilaniaverant;
Terrâ cubili somniatas
De Superis obiere noctes.
O nos inertes! quàm tenerè cutem
Nostram fovemus, ne temerario
Affletur Austro, ne severi
Frigoribus glacietur anni,
Aut vulneretur cuspide Sirij.
Patere Cœlum credimus otio,
Mendace nobis sanctitate
Occinimus Superos faventes.

ODE VII.

AD MANTICUM PERENOTTUM

Cùm ſe Aulicis negotijs abdicâſſet.

GRatulor ſanctam, PERENOTTE, vitam:
Aula deſerta eſt Tibi. Vive felix!
Jam ſalus parta eſt, pedibúſque fallax
Subdita terra.
Factus es magno minor ex honore,
Major ex ſpreto. bona cauſà vicit.
Semper ex alto gravior ruïna eſt,
Pejor ab Aula.
Nil ibi tutum, probitate ſpretâ.
Plurimus magnis foribus ſuſurro
Obſtrepens blando maleſuadus ore
Concitat iras,
Fraudat inſontes: nihil hîc quietum,
Nil ſatis cautum. rigidus ſatelles
Obſidet poſtes, numeroſus haſtis
Atria cuſtos.
Principum fruſtra ſatagis favori,
Non diu floret: labor eſt diurnus.
Unicâ exhalat, breviùs ſubinde,
Gratia nocte.
Plurimi creſcunt, recidúntque plures
In ſuas ſordes. quot enim vel uno

Nobi-

Nobiles anno ſuper elevantur
Sidera fungi?
Perbrevi gaudent ſolio favente
Sorte deluſi. gladio minores
Quot tumeſcentem proprio luerunt
Sanguine faſtum?
Subtice verum, moderare linguam.
Veritas ſemper nocuit loquenti.
Aure ſubtiles geminâ Monarchas
MANTICE nôſti.
Multa ſcit, quiſquis didicit ſilere.
Facta ſunt nudis potiora verbis,
Tinniunt voces, ut amant inanis
Cymbala pelvis.
Prode te nunquam: retine ſeratam
Peſſulo mentem. ſatius tacere eſt,
Quàm loqui, quod non animo fideli
Ludio ſentis.
Æquus ambobus fieri laborans
Pluribus quiſquis cupiet placere,
Diſplicet multis, quia vult videri,
Eſſe quod horret.
Tutus in ſilva medius ferinos
Inter inſultus, rabidáſque Tigres
PRODROMUS CHRISTI fuerat. ſceleſtam in-
-greſſus in Aulam
Perdidit vitam, quia veritatis
Præco neglectum thalami pudorem
Leniter carpſit. pretioſa ſaltu
Vendita lingua eſt.

Ergo perjuris procul exeundum
Suadeo tectis. minitans ruina
Clade vicinâ monet inquilinos:
Inde recedant.
Non vides, SAMSON DEUS ut Columnis
E loco motis tumulet superbos
Dirutis Aulis? numera sepultos
Clade Philistas.
Si premi non vult graviore lapsu
MANTICUS, tumbâ meliore dignus,
Inde cras velox, hodiéve migret.
Tempus eundi est.

ODE VIII.

Mores, Habitus, Gestus, Occupationes, Vestitus dyscoli Studiosi Academici omnibus probis ad cautelam expenduntur, ac describuntur.

CAlore primo difficilis regi
Flagrat juventus: transilit orbitam,
Omnémque dedignata sepem
Claustra minis violenta rumpit.
Primus pudendæ est fructus inertiæ
Studere somno: dum radijs iter
Illustre describit cubili
Sol tremulo spatiatus igne,

Utram-

Utramque in aurem ſtertitur, & dies
Natus labori concoquitur toro.
Tum ſurgitur tardè grabato,
Cêu niveâ madidus ſalivâ
Spumante limax egrediens domo
Se circumacto corpore proripit,
Latúſque mutat, donec omnem
Exerat è laribus figuram.
Poſt hæc ſolutis crinibus (è fuga
Ut torqueantur rurſus in ordinem
Cenſore vitro) conſecratur
Hora duplex: ſpeculo magiſtro,
Et erudito pectine conſule
Comæ ſtriantur, pulveris advenæ
Olente nardo delibutæ
Propitias redolent Moluccas:
Panthera fragrans, quàm procul iverit,
Nares ſequaces attrahet omnium,
Moſcóque odoratis capillis,
Cêu violis, capiet columbas.
Crine abſoluto, veſtibus imminet
Bellè plicandis Pſittacus Indicus:
Pes ſericis rugis uterque
Artificem vetulæ ſenectam
Præfert cothurno. vix ligulis modus:
A calce Pavo plurimus ad caput
Diſcorde mentitus colore
Multiplici novitate ludit:
Totas ſubinde eſt cernere nundinas.
Collare pleno fertile baltheo

Promanat in pectus fluente
Materiâ, teneráque bysso:
Indusiorum prodiga largitas,
Et sumptuosâ è sindone carbasa
Effusa pendent; brachiorum
Tota volant manicata vela:
Distentus hydrops in caligis tumet,
Et follicato proijcitur sinu,
Thoráxque nodis asperatus
Mille nucum riget involucris,
Sedénsque parvus vertice pileus
(Exile magni vasis operculum)
Ligaminum plenus, pusilli
Proditor ingenij jocanti
Colludit Austro. duplice nos juvat
Acuminatos cuspide calceos
Videre, rostratásque naves,
Et geminas veluti carinas,
Quibus capacem magnifico pede
Typhis per Urbem provehitur novus,
Accinctus ad lumbos minuto
Ensiculo, gladiíque frusto.
Sic ille vadit, cùm gradiens foras
Templum salutat fronte brevissimâ,
Intránsque, vix palmo per ædem
Progreditur, retinénsque postis
Adhuc aperti diffugit ocyus,
Tergúmque vertens ne cruce se notat:
Adesse quòd si Femininum
Quid videat, magis appropinquans
Vena-

Venationes instruit, & vagus
Hinc inde fœdis Templo oculis volat,
Censórque formarum profanat
Mente locum meretrice sacrum.
Jam tempus instat nobile prandij.
Plures adibunt pascua. symbolis
Solenne collatis in unum
Hoc epulum est, decus Helluonum.
Sancita res est: ad vomitum bibant!
His considetur conditionibus.
Infertur in mensam frequentem
Pinguibus offa oculata guttis,
Et prima longo tramite fercula,
Haustúsque vitris pluribus aureus,
Uváque splendentes cruenta,
Ac rubeo cyathi Falerno:
Sed & rotundis hispida plurimis
Stant vitra nodis, candida queîs Ceres
Infusa spumat, quæ vel uno,
Ac solido exonerantur haustu:
Adest liquoris copia quadruplex,
Qualis Mosellâ, vel Nicaro fluit,
Rhenóque crescit delicato.
Indomito irrequieta musto
Vindemiato vasa recèns mero
Passim redundant. crapula proficit.
Diversa crystallo figura est:
Struma cavæ satis ampla conchæ
Usque ad medullam lambitur infimam,
Suprema donec guttula profluat.

Tum per feneſtras vitrearum
Proijcitur chorus amphorarum:
Offenſa ſaxis fragmina tinniunt.
Placet ſonorâ grandine muſica.
Ovant ſodales, jubilorum
Nec requies datur editorum.
Mensâ peractâ, quàm madidi mero,
Tam mente ſicci, & corpore plumbei
Jam nocte ſerâ ſe per Urbem
Circumagunt pugiles rebelles,
Et ceſpitantes in geminum latus
Turbant ſoporem, & limina civium:
Cêu ſpectra per vicos aguntur
Impete, ceu Lemures vagantur,
Tondéntque ſtrictâ cuſpide pumices:
Abſiſtit ignis vulnere marmorum:
Scintillulæ multo nitore
Exiliunt, ſilicúmque venæ
Ferro petitæ lumine fulgurant.
Domum reditur. ſtertitur in diem.
Dormitur altùm more glirum.
Manè dolent madidi capilli,
Capútque collo eſt intolerabile,
Lævúmque nictant vitrea lumina.
Quid interim libris, & arte
BALDUS agit, Medicúſque CHIRON?
Scrutare thecas: inſpice paginas:
Vides, ut AMPLâ ſtet NIVE CANDIDUM
SORACTE? neglecto Lyceo
Nil calami bibit, aut liquoris

Atri papyrus menſibus integris
Tam ſumptuoſo pacta peculio.
Gratíſne ſudorem parentum
Dilapidas ſtudioſe fili?
Albente corvus gignitur ex cycno,
Audítque Dæmon, qui priùs Angelus,
Moréſque fuſcantur repente
Virginei ſtygio colore.
Elapſa nuper de ferula cohors
Soluta vix eſt ſupplicio cutis;
Et ecce! libertas probroſo
Ocyus arripitur calore.
Mutate mores, & ſpecimen date,
Utrum regendo ſitis idonei
Olim Senatu, Patriæque
Mole pares humeris ferendâ.
Non iſta veris eſt via glorijs
Olim parandis, non iter ad thronum.
Servate ſinceram juventam,
Vóſque foro date litterato.

ODE IX.

ODE IX.

AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM
SFORTIAM PALAVICINUM
è SOCIETATE JESU, CONCILIJ
TRIDENTINI SCRIPTOREM
ELEGANTISSIMUM,
SOLIDISSIMUM.

Eximios res magna Viros, Miracula Mundi,
Mortaliúmque nucleum
Poſcit, qui ſatient forum:
Mitra coronati triplici diademate PETRI
Magni DEI VICARIA
Divinum calamum petit:
Summa TRIDENTINIS agitata negotia curis
Pennâ notentur aureâ,
Et quæ par Aquilis volet;
Invenere Virum Sacri monumenta Senatûs,
Qui cedat arte nemini,
Cuî Virtus pretium facit.
Hæc ſum̃i ingenij Phœnix celeberrima Facta
Miraculum prudentiæ
Totos digerit in libros:
Italicæ linguæ Princeps, calamíq; Monarcha
Scribit catenas aureas,
Queîs mentes hominum trahit.
Quàm ſolidus, tersúſq; nitēs ea tēpora tractat,
Scrupoſa tot reſpectibus,
Ipſo themate lubrica?

Quàm

Quàm cūcta exactè memorat, quàm sanguine
Lectóque succo turgidus (plenus,
Divinam historiam polit?
Ambo facit: celebérq; togâ est, magnúsq; palæ-
Si bella poscant militem, (strâ:
Stringit terribilem stylum:
Spicula crebrescunt celebrē bibitura cruorē:
Intenta chorda sibilat
Arcu stridula flexili;
Configit jaculis SUAVEM, consutáq; fœtis
Mendacijs volumina
Clavâ transfigit Herculis:
Aspice fulgentes clypeos, ensémq; micantem
Ardore Solis ebrium,
Ut claris radijs natet?
Errores vetitos mactat, dextérque sinistérque-
-Interficit sententias
Prægnantes novitatibus.
Hæc bello fiunt. facies est altera Pacis:
MITISSIMI, SAEVISSIMI
Scriptoris meruit decus:
Ex ipso fundo sincerâ limpidus undâ
Is veritatem provocat
Piscatus speculum rei.
In gemino felix, campo celebretur aperto
Victor trophæis nobilis
Cum Lauro ex acie redux:
It comes Heroi plenissima Purpura famâ,
Apex sacratæ gloriæ,
Orbem convocat integrum,
Dicit:

[illegible], [illegible]ngeniorum,
[illegible]
[illegible] Viri.

ODE [illegible]

[illegible] GONZAGÆ
[illegible] Virtus ac Pietas.

[illegible] Sanguine!
[illegible] Cycnum!
[illegible]
[illegible]
[illegible] liliis,
[illegible] nitido.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] celerrimo
[illegible]
[illegible]
[illegible],
[illegible], & ob[illegible]dem
[illegible]
[illegible]

Sacere-

Succrevit Pietas haud pede languido,
Cœlóque imminuit facta propinquior;
Promovit volucrem gradum
Ad fastigia Siderum:
Corpus non tenerè, sed rigidè sacer
Tractavit Lanio. sanguinis alveus
Diris elicitus flagris
Formoso micuit typo.
Defraudans cupidos divite pabulo
Sensus, difficili lege coërcuit,
Erronésque oculi tubos
Cœco carcere munijt.
Demum magnanimi pectoris impetus,
Et Virtus tenui corpore grandior
(Cêu præcox calamis seges)
Promptâ messa fuit nece.

ODE XI.

Affectꝰ S. MARIÆ MAGDALENÆ Cœlum aspicientis, ritéque peccata sua deflentis.

Fortè obscura nigro nox horrescebat amictu.
Stellata nusquam spicula. (stræ
MAGDALA nō uno rea crimine prona fene-
Adstabat, astris imminens:
Illa tuēs spissas tenebras, mea pectora, clamat,
Sunt atra, plus, quàm nubila.
Dixe-

Dixerat. & ſubitò ſua lux eſt reddita nocti:
Scintillat argento Polus.
Stellarum populus redijt, gens lactea, Solis
Conſtans ſatelles Phoſphorus:
Nubila reſtituunt ſtellis revolubile furtum,
Hinnit per Aſtra Pegaſus.
Obſtupuit ſpeciem ſubitam, Cœlíq; theatrum
Triſtis remorſu MAGDALA
State faces, clamat: mihi veſtra exẽpla ſequen-
Vitam reponam lucidam. (da.
Mox verſa ad geminos oculos, ſimul imperat
Simúlque fletu ſolvitur: (undas,
State faces, clamat, noſtras audite querelas,
Et vota Cœlo ſcribite:
Si tanto exteriùs cælata hæc aula metallo eſt,
Quid intùs eſſe judicem?
En! Cęlos imitabor adhuc. lacrymatur Olym-
Lunâ ſepultâ nubibus, (pus,
Ipſa oculis fœcũda pluam. procurrite nimbi,
Et tota fletûs æquora:
Expurgabo animum, ſcelerísq; lavabo cubile,
Thermas parabo crimini:
Ite procul nitidæ Stellæ, nubéſque redite,
Vos atra Cœli pallia,
Cæruleo haud equidẽ dignã me cenſeo vultu:
Faces abite fulgidæ!
Flebo frequens, quãvis niveâ ſe luce capillãs
Serena Luna fulguret: (Phœbo
Flebo frequens, ſimul ac cognato alludere
Aurora plorans cœperit:

Flebo:

Flebo: dies ſimul ac puer evigilârit ab Indis,
Donec ſeneſcat æquore:
Si Tellus ſubducat aquas, amnéſque fluentes
Sol axe flagrans ebibat,
Ingrediar madidi fidens æraria Cœli,
Trahámque mecum Plejadas:
Nimborum pluviæque ferax intrabo cubile,
Ubi coquuntur grandines:
Materiam è Cœlo repetam, ſi flumina deſint;
Siccata ſi ſint æquora,
Cryſtalli aggrediar glaciẽ, gem̃áſq; liquabo,
Hiberna ſolvam frigora.
O ſi naufragio peream, vel mergar in undis
Secura portûs MAGDALA!
Certa mihi Cynoſura DEUS. dũ navigo fletu,
AMOR peritus TYPHIS eſt.

ODE XII.

LAUDES BELLICÆ

Ill.mi & Excell.mi COMITIS LUDOVICI RADUICI DE SOUCHES OBTENTIS CONTRA SUECOS, AC TURCAS VICTORIJS CELEBERRIMI.

ANnis tametſi ſerior, & nive
Jam cana ſparſus tempora SUSIUS
Adhuc

Adhuc calorem Martialem
Intus alens juvenescit armis.
Non ille tardo in prælia sanguine
Gyrare doctus Cornipedem celer
Exasperans vultum flagrantem
Per medios ruit acer hostes.
In arma primus, primus in æreum
Athleta campum, Massagetûm timor,
Terrórque Lunæ perduellis,
Et domitor MACHOMETIS atri
Virtute supplet magnanimâ LEO
Senile corpus. Signa ferociæ
Suis daturus, discolore
Ipse caput galeâ coronat:
Plumante cono discitur impetus.
Tum præparatus quadrupedantium
Stat cursus. accincti triumpho
Stant animi propiore Lauro.
Is evibrato dexter acinace,
Quicquid resistit, præcipitans ferit.
Ignobiles Turcæ phalanges,
Cêu tenues metit ense caules.
Prælusit olim cladibus integris,
Contra Süecos ferreus in fide,
Quos mœnibus pulsos, & arce,
Edomuit, vetuítque BRUNAE
Desideratum figere terminum.
Fugêre cæso milite VANDALI.
His præstitis quondam, flagrante
In Geticos modò se Tyrannos

Furo-

Furore librat, pérque cadaverum
Pontem profectus proterit omnia.
  Lacessit enses, & probrosam
    Impatiens tolerare gentem
Occasiones quærit idoneas,
Et aptiores insidijs locos,
  Vique inde prorumpens in hostem,
    (Nube cêu nigricante fulmen)
Virtute fretus, non numero Virûm,
Repente totos dissecat ordines;
  Sed nec minori sepiendis
    Urbibus ingenio, vel arte
Præcellit Heros. NITRIA bellico
Extructa clivo dedita SUSIO.
  Ex ungue Turcæ liberata
    Ad Dominum redijt LEVENZA.
Adhúcque vivo sanguine fervidus
In arma, & hostes trux proficiscitur,
  Deliberato sed Gradivo
    Bella ciet, miniméque præceps
Egénsque magni consilij volat,
Gnarus, magistrâ qui patientiâ
  Duces morantur, gloriosos
    Vincere, præcipitésque vinci.
I Christiani gloria militis,
Quò vera Virtus, quò Pietas vocat!
  Ubique Turcæ, Tartaríque,
    Et nimius minitatur hostis
Gentis profusus, nec capitum tenax
Fossas novenis millibus obruit,

Siccat

Siccat paludes proſtitutis
Corporibus, numeróque vincit.
O quot cruoris jam bibit æquora,
Et Chriſtiani flumina ſanguinis!
TE Vindicem ſacri liquoris
Ira vocat, Patriæque luctus.
Poſthàc inultos linquere fortium
Manes virorum non decet, & feram
Exaggeratis roborari
Viribus, auxiliiſque plebem.
Exurge in iras denuo ſtrenuas,
Urbéſque laxa, quotquot aheneâ
Mœrent cataſtà, ſervitutem
Fulmineo gladio revelle:
Conſcende pinnas, valla ſupervola,
Proſterne muros indole Barbaros.
Exſcinde nidum perduellis
Seminis, indomitæque gentis.

ODE XIII.

AVCTOR Delicias ruris, ac matutinas ambulationes Æſtatis tempore commendat.

NEſcio, quid inſit gaudiorum ruribus,
Et excitati ſanguinis.
Mœrore quodam tetrico, & triſti velut
Urbes veterno dormiunt.

Rus

Rus vivit omne. viridis exhilarat color,
Lætíque campi geſtiunt.
Catarrhus urbes habitat, & tuſſis domos.
Eſt rure liber ſpiritus.
Præſertim Aprili, quando calvas arbores
Ver rurſus inſternit comis.
Summa mihi cura manè ſupremo fuit
Æſtate quondam ſurgere,
Primâque portâ prodigo in greſſum pede
Campos patentes viſere:
Ibi ſcholarum pulverem ejeci frequens,
Et rheûma totum dilui:
Ibi ventilavi rauca colli compita,
Obſeſſa ravi pectora.
Ibi mihi læto cuncta ſucceſſu favent,
Et tuta vernat ſanitas:
Ibi vena ſucco melior electo fluit;
Expertus illud aſſero:
Sive in virenti porrigens corpus toro
Æſtiva captem frigora
Jocante circum Fraxino, dum Thraciæ
Canora Pellex dulcibus
Nemus querelis implet, aut viduus gemit
Cavâ palumbes arbore:
Seu provocatâ murmur, & clemens ſonus
Adſibilatur ilice:
Seu defluenti lubricos piſces vado
Lucente contempler vitro.
O qàm perito gutture, & linguis tremit
Silveſtris iſthîc Muſica!

Abeſte

Abeſte voces aulicæ, & ſecti Capi:
Cantatur iſthîc dulcius.
Cùm longa paſtor cornua, & curvos tubos
Inflat, putantur buccinæ.
Quis diſcolorum luxus agrorum viret,
Locíque gentiles roſæ?
Quis conjugatos ſtipites ſat mirabitur,
Et arbores adulteras,
Natámq; ab illis fructuum ſobolem probam
Frondente matrimonio?
O quæ voluptas (fulva cùm Cœli Lea
Attemperatur ventulo)
Sedere viridi porticu, flante Æolo,
Sodale cum FAVONIO!
Diſcipulus Euri Zephyrus ambroſio ſuum
Vincit magiſtrum gutture.
Ipſe elegantes natus in ſcenas ſitus
Theatra vincit Principum.
Sopore nuſquam molliore dormij,
Quàm ſerico fœno cubans;
Admurmurabat rivulus blando labro
Nutricis inſtar Morpheo.
Quin ipſe nuſquam ſuaviùs rerum mihi eſt
Placere viſus Conditor:
Occurrit animo per tot ambages Sator
Extra tumultum clariùs:
In aſtra raptus ibi perorantem ſuis
Mirabar è factis DEUM.
His illecébris ſuaviter captus, ſacro
Terrena calcabam pede.

ODE XIV.

ODE XIV.

AD EDMUNDUM OLCORNUM ILLUSTRISSIMI ADOLESCENTIS MORUM PRAEFECTUM.

Vt innocenter ipſum in Literis educet.

EXaminato Sanguine nobilis,
Avíſque præſtans ordine plurimis
NARCISSUS in primo juventæ
Vere tener, medióque flore
Tuâ regendus traditus eſt manu.
Is delicatis moribus innocens,
Virtutis obſervans utrumque
Conſociat facie Parentem.
Quantum probarum conſcia dotium
Natura ſpondet, nobilis indoles
Ineſt Puello; mentienti
Si qua fides tribuenda formæ.
Intelligendo tempora prævolat
Tantillus heros, ingenio valet:
Nam pectus amplum, atque hoſpitantem
Magnam animam Pater, atque Mater
Impreſſit illi prodigijs parem.
Hoc pulcra vultûs ſcena, meridies
Infuſus ori pollicetur
Præco boni manifeſtus ævi:

Q Scin-

Scintillat illi pectus ad ardua.
OLCORNE, tantùm, ne pereat cave
  Spes tanta suffocata primis
    Flagitij teneri pruinis.
Ne Tu pudicum molliter educa.
Occasionum subtrahe pabula,
  Quæ vel remotè destinatum
    Ad vitium, vomitúmque ducunt:
Effeminato ne gremio sine
Adblandientes inter Ephebulas,
  Ipsásque versari Sorores,
    Ne referens animum inde mollem
Emasculatâ langueat indole.
Hærede crebrò discimus è loco
  Exempla morum, quæ videmus
    In socijs, quibus assidemus.
Maturus omnem luxuriem procul
Avelle prorsùs, si cupias virum,
  Si delicatam vis puellam,
    Serica carminet ipse fila.
Muni pudorem: scilicet arduum est,
Servare mentem criminis integram.
  Occasiones feminarum
    Masculeum impediunt vigorem:
Quot illa versat flamma Tragœdias?
Quot bella spurcus Mulciber intulit?
  Domestici quis Parricidæ
    Marte caret, Cyprióque telo?
Jube: severum se gerat, & gravem,
Rugísque frontem pluribus asperet;

Si se-

Si feminæ ſint alloquendæ,
Præcipuè caveat feneſtris.
Quædam pudori ruſticitas bona eſt,
Fruſtráque cæcos inſequitur Venus:
Duces amoris peſtilentis
Sunt oculi malè curioſi:
Sed nec, Sodales ſi cupiat mares,
Concede quoſvis: ſelige cognitos.
Plerumque viſcoſo laborat
Unio liberior veneno,
Moréſque gliſcunt in paribus pares.
Ne Te colores miſceat inſcio,
Ludátque Chartis: nam probroſus
Luſus is eſt, cupidus metalli,
Et ſumptuoſi temporis Helluo.
Quem fraudulentæ ſpiritus aleæ
Semel prehendit, non quieſcet
Aſſiduo ſtimulatus æſtu,
Sortíſque blandæ fretus hypocriſi
Pecunioſum pruriet in lucrum.
Experta res eſt: æris illa
Inſatiabilis eſt Cupido.
Heu! quanta punctis ludus eburneis
Jam damna cudit: lingua tricuſpide
Telo laceſſitos petivit
Indigenas Superos Olympi,
Causámque magnis criminibus dedit:
Veſtes ab ipſo corpore perdidit,
Exhauſit arvinâ crumenas:
Ad laqueum miſeros redegit.

Ne liberalis porrige, quod petit:
Sæpe eſt venenum, quod violam putas.
Pecuniam (nervum malorum)
Subtrahe, deliciáſque menſæ:
Molleſcit omnis nobilis indoles
Hoc apparatu. ſi gemat, aut fleat
Triſtis repulsâ, tu cachinna,
Nec querulis moveare ſtillis.
Blandire nunquam. ſæpe nocet favor.
Robuſtiori ſerius increpa
Ipſum loquelâ. ſtante fronte
Verba pati graviora diſcat:
Amore Natos Simia ſtrangulat,
Et Urſa molli delinit oſculo.
Non ſaccharo ſunt educandi
Filioli, placidóque melle.
Frons torva Patris magnanimos facit,
Auſteriorum fulgura nutuum
Cêu Marte verſatos ſevero
Exſtimulant, animántque Natos.
Feſtina falx ſit, ſi lolium novo
Se prodat agro. parcere crimini
Crudelis eſt Virtus. novercæ
Terribiles, ſine bile matres
Plerunque fiunt, cùm ſoboli malæ
Sunt blandiores, atque peculij
Eſcam, voluptatúmque cauſam
Molliculam, pretiúmque præbent.
Si prima laxas frœna licentiæ,
Evadet effrons, tardus & impudens.
Obe-

Obedit ex cera juventus;
Dum tenera eſt, cicuretur ætas.
Sic ille creſcet gloria Stemmatis.
Si negligatur, degenerantibus
A Patre factis deſpicatus
Innocuos maculabit annos,
Et glorioſi ſanguinis alveum,
Vitáque magnos dedecorans Avos
Inglorius pago ſedebit
Arcis herus, canibúſque ſaltus,
Prædáque fartos excutiet ſpecus
Illiterato ſordidus otio;
Contentus ACTAEON quaternas
Retibus implicuiſſe Vulpes
Implebit omnes, ut Satyri ſolent,
Clamore ſylvas inſatiabili,
Qui Regna, regnorúmque curas,
Et celebres ſolidâſſet Urbes.

ODE XV.

Doctrinam ſine Virtute nihil eſſe.

AUſcultate Sophi, quotquot ab editis
Jactatis cathedris docta tonitrua,
Et tuſſim celebrem, ſcitáque jurgia
Miſcetis calido foro!
Ne digna eſt obolo ſola ſcientia,
Quæ virtute caret. nil valet ars hebes,

Cuî non connubio juncta marita ſit
Virtus participi toro:
Inflat magnificos lubrica vertices,
Cêu ventis gravidam, quæ jacitur, pilam:
Cêu bullam vitream, quæ volat aëre
Leni evanida ventulo.
Multis exitio facta Scientia
Stravit præcipites. ſuſtulit ARRIUM
Sanis conſilijs indomitum caput,
Cœpto ſchiſmate ſaxeum.
Intonſo eſt melius vellere gauſape,
Quàm mollis teneræ pannus Epomidis,
Aut doctæ Endromides, quas Academicus
Mos in Pallia proijcit.
Ignari rapiunt ſidera Ruſtici,
Volvuntur Scioli carne meriſſimâ:
Subtili ingenium lumine pervigil
Vili ſanguine volvitur.
Dicunt, non faciunt, plurima qui ſciunt;
Sunt capti manibus, gutture qui boni:
Oſtendunt alijs pollice ſidera,
Aſt ipſi in foveam cadunt.
Quæ virtute caret manca Scientia,
Vagina abs gladio gemmea dicitur!
Ornetur Pietas. ſerva pediſſequa
Ad pompam Dominæ facit.

ODE XVI.

ODE XVI.

Assidua Beneficia Numinis homini collata, ex artificio corporis humani totiúsque Mundi famul.tio commendantur.

OMnibus Numen bene vult: salutem
Invidet nulli: spatiosa Cœli
Regna præclarâ fabricavit arte.
Huc vocat omnes.
Quisquis es, ripæ bibulas arenas,
Limpidi rivi niveos lapillos,
Si potes, fundo numera, vel omnes
Arboris artus,
Floridis ramos folijs comatos,
Paginas omnes trabe fluctuantes,
Arborum crines, atomósque claro
Sole volantes.
Nescio tantam numerare molem,
Inquis, absisto. locupletiore
Singulis horis cumulo favores
Dat tibi Numen.
Gratiæ vincunt numerum diurnæ.
Si potes, nictus oculi perennes,
Excubitrices numera favillas,
Atque nitorem,
Tótque diversas tunicas, & apti
Pelle subtili radios Planetæ,

Limpidum vultûs ſpeculum, micantis
Sidera frontis:
Cogita nervo toties tremente
Artuum pulſus: numera rubentes
Sanguinis guttas, roſeúmque venis
Dulcibus amnem,
Oſſa (robuſti veluti columnas
Corporis) pleno ſaturata ſucco,
Ædis humanæ memor officinam
Mente revolve:
Temporum conſtans, reſonante fronte,
Malleus pulſat geminus: cavatâ
Aure vicinus recubat tumultus,
Ordo fabrorum:
Palpitat fibris placidis utrumque
Brachium, lætæ nota ſanitatis:
Subſilit cordis ſtatio, modeſto
Vivida motu,
Arte pulmonum, tremulóque folle
Aptius nil eſt. venit inde totus
Aëris guſtus, placidáſque corpus
Attrahit auras.
Sanguinis præſtans cocus inquieti
Hepar, accenſo ſatagens labore
Providet venis, meliore ſucco
Ne roſa deſit.
Inſciis nòbis, ea perpetrantur
Corporis membris, veluti rotatâ
Mole concordes operantur arcto
Fœdere ſpiræ.

Mira

Mira Natura est. jubet illa tempus
Artifex anni, variante Sole,
Ire sancito stadio; magistra
Præsidet horis:
Illa nictantem dubitante luce
Intuens nubem, pluviúmque scitè
Instruens Solem, vaga discolore
Iride fulget:
Illa concretam vehemente vento
Grandinem format, gracilíque ningens
Vellere hibernas tenuat nivali
Flore pruinas:
Illa squalentes diuturniore
Vindicat campos macie: eloquentes
Excitat fontes, querulósque verno
Murmure rivos:
Hæc per ambages Rhodanum fatigat,
Antequam salsum Thetydis cubile
Intret, & magnum properet tributum
Solvere Ponto;
Cæteros curvans fluvios, per Orbem
Ritè disponit foveas aquarum,
Lautè ut altricis pecorosa ripæ
Gramina vernent.
Illa directo jubet eruditos
Ire descensu lapides, & ignem
Erigit sursum, viridíque campo
Prata colorans
In tuos usus, Homo, se propagat
Fertili Tellus famulata partu,

Se tibi totam facilis rotundo
Porrigit Orbe.
Hæc tibi Numen benefacta præstat.
Quid DEO præstas Homo pro talentis
Mille concessis tibi gratiarum
Qualibet Horâ?

ODE XVII.

D. XAVERIUS ut inveteratæ malitiæ militem convertat ad frugem, horribili flagellatione, præsente illo, in corpus suum animadvertit.

EMaceratas mollijt Hannibal
Rupes aceto. supplicio petra
Mordacis affusi liquoris
Indomitum posuit rigorem,
Et pervicacem marmoris indolem.
Callens eandem fortè scientiam
FRANCISCUS, ut se vindicaret
In scopulo, nimiáque rupe,
Videns tenaci pectore militem
In obstinatis vivere sordibus,
Decrevit ingens glorioso
Ingenio lacerare saxum.
Deliberanti stans similis, modus
Occurrit (inquit nobilis artifex)
Licen-

Licentiam quo militarem
Aggrediar, ſilicémque mentis
Liquore ſolvam. difficiles ſcio
Tractare cautes: non niſi ſanguine
Hæc ſaxa manſueſcunt; cruori
Soli Adamas, glaciéſque cedit.
Hæc elocutus, pectoris ignei
Faſſus calorem, ſecum hominem trahit
Sermone blando nuncupatum.
Ille gradu ſequitur modeſto.
Stabat propinquo litore ſilvula
Frequente Palmâ, conſita quercubus,
Locus voluptatis benignæ
Compoſitus ſtudio quietis:
Ibi faceto frigore plurimæ
Denſantur umbræ, cùm Leo flammeus
Irrugit axi: muſicarum
Hîc volucrum pretioſa lingua,
Ventíque fratres aſſiduo joco,
Et temperato Veris anhelitu
Secreta in aurem garrientes
Ingenuâ regione ludunt,
Vocíſque mimæ affabilis hiſtrio
Echo locorum eſt nullibi doctior,
Dum mutuatas fœneratur
Multiplici cavitate voces,
Furtúmque duplò reſtituit ſuum
Specu canoro; quando volubilis
Impingit in ſylvas & hortos
Vox lacerâ rediens loquelâ.

Huc ambo tendunt, & ſubeunt nemus.
Loco parato pallia proijcit
FRANCISCUS, & veſtem fluentem:
Terga dein, mediúmque nudat
Ad flagra corpus: terribili manu
Hoſtile lorum fertile ferreis
Profert ſagittis, & ſeveris
Ictibus inſequitur rubentem
Cruore pellem. trux reſonat cavo
Luco macellum, & dextera carnifex.
Attenta vibices & ictus
Principiò numeravit Echo,
Sed laſſa tandem deſtitit, & gravi
Parcens labori, condoluit viro:
Plus mille ſexcentis ſonoros
Nympha ſtudens numeravit ictus.
Partes in omnes diſſiliens cruor
Sparſit propinquos ſanguine ſtipites,
Terrámque largè purpuravit
Ros alacri cumulatus oſtro:
Certare viſi lambere floſculi
Sanctum cruorem, qui propè creverant:
Largéque fuco ſeminata
Alga, rubro micuit corallo.
Cruenta flagris tergora contuens,
Hiulca plagis, Quæ, Pater optime,
Quæ cauſa fatalis furoris,
Miles ait, nimiíque belli?
Pergéſne totam cædere victimam,
Dorsúmque ſævis conficies flagris?

Hæc

Hæc ille. FRANCISCUS renidens
Pauca refert: pretiose Fili,
TU causa pugnæ, & sanguinis unica es,
Tuóque constans crimine vapulo;
Nec inde surgam, vel remisso
Verbere dilapidare totam
Cessabo pellem, donec idoneo
Mores probatos obside spondeas,
Vitámque promittas pudicam,
Et niveam sine fœce mentem.
Assensus ipse est, & scelerum pudens
Datâ sacravit propositum manu.
Verbúmque facto comprobavit
Integritas, meliore vitâ.

ODE XVIII.

Prodigium Musicæ in PHILOMELA, Quam Cœnobita quispiam annis trecentis insecutus dicitur.

AUrora lucis mater, & Solis parens
Illusa mille gratijs
Ubi nunciavit certa venturum diem
Rubente Cœlo proximum,
Virente surgunt ocyus volucres toro,
Plumásque castas ventilant:
Res lepida prorsus, quando se pectunt aves,
Lavántque rauca guttura,
Vocem

Vocem ſcreatu prævio expurgant, dein
Vocale roſtrum præparant:
Primùm ſilente fiſtulant quiddam tono,
Præludiúmque muſſitant;
Mox, ubi venuſtâ luce tenereſcit dies,
Phœbum ſalutant roſcidum:
Offenſa ſaxis flumina, illimes aquæ,
Ventíque cantum promovent:
Sylvæ reſultant vocibus, clangit nemus
Roſtris peritis eloquens.
Sed arte reliquas artifex ſuperat aves
Regina Aëdon alitum.
Hæc flexuoſos variat inſtabilis gradus,
Carménque dat volubile:
Jam ſurgit alto tramite, & vocem levat:
Mox in profundo conſidet:
Jam lenta garrit, mille jam ſpiras vibrat,
Criſpátque filum gutturis:
Jam falſitatem condit artifici fugâ,
Ulnámque ducit Muſicam:
Jam fraude mollit halitum, & medio ſono
Subtile delibat melos:
Jam tota cantat, cêu duæ, aut plures forent,
Plenúmque roſtrum projicit.
Jam valle ſtridet quidpiam raucum infimâ;
Jam ſumma rurſus emicans
Linguæ volatum circinat mille orbibus,
Et involucris carminis.
Attonita circùm ſylva defixis ſtetit
Ad dulce carmen auribus:

Mirata

Mirata volucrum reliqua Sirenem cohors
Palmam canenti detulit.
Audiijt & ipſe Monachus. & jam non ſuus
Sylvis vagatur abditis,
Amore volucris captus, oblitus famis,
Sitíſque prorſus immemor
Annis trecentis (fama ſi verum refert)
Lucos virentes incolit:
Avi immoratus clamat: ah! Superi mihi,
Cœlique vos ignoſcite!
Non cupio veſtrã Muſicã. ah! plus quàm ſatis
Hæc una menti ſufficit:
Hoc opto: totus, auris ut fiam: lubens
Amitto ſenſus ceteros.

ODE XIX.

Miſerrima MILITIS conditio, ejúſque in bello incommoda declarantur.

QUis probra Martis cuncta recenſeat,
Bellíque luctas ſub rigido Duce,
Vitámque venalem vel uno
Transfugio, modicóve furto?
In fronte pugnæ, glans ubi plumbea
Frequente mortis grandine pervolat,
Inſons URIAS imperanti
Victima ſæpe cadit DAVIDI.

Queîs

Queis parcit ensis, vel pyrius globus
Lambente fumo præterit, aut pede
Innoxiâ stringit favillâ,
Sæpe fames truculenta mactat.
Quàm delicato mensula stat cibo,
Si carne equinâ vermibus ebriâ
Miles laborans helluetur,
Aut putridâ saturetur offâ?
Rigente panis marmore durior
Constanter undâ per triduum madens
Pro militari venditatur
Delicio, sapidóque bolo,
Inter vaporum putria nubila
Felice nunquam vescitur äère,
Locóque perstans inquinato
In media sanie paludum
Fœtore Miles sæpius interit.
Cognata bello Pestis aheneos
Erodit afflatu gigantes,
Et solidos populatur annos.
O quàm severâ prælia curiâ
Passim reguntur! quàm rigidæ subest
Mars disciplinæ? finiuntur
Vel gladio, laqueóve causæ.
Totis diebus ponderibus premi,
Sedere mulo est gratia ligneo:
Hispanicâ quæ texta telâ
Pallia sunt, nimióque ferro;
Censentur ingens esse superbia:
Soléntque frontis stigmata Milites
Habere

Habere pro muſca decôris,
Quam lepidæ pice ſumptuosâ
Genis Puellæ crebriùs allinunt.
Si dormientem reppererit loco
Dux viſitator, proditoris
Inſtar habet, gladióque plectit.
Gallina furto rapta leviſſimo
Cervice multis conſtitit, & gulâ
Anguſtias paſsâ. eſurire
Militiæ eſt proprium, & ſitire.
Auget malorum ſæpiùs alveum
Stipendiorum parca neceſſitas.
Accedit (appendix moleſta)
Uxor egens, miſeræque prolis,
Et vagientum copia liberûm,
Censúque alendi paupere filij,
Queîs veſte ſciſſuris refertâ,
Et laceris tunicæ feneſtris
Proſpectat algens undique nuditas,
Cultúſque toto corpore nullus eſt.
Quis caſtra neſcit copioſo
Integra pulice devorari?
Hem! pompa qualis reptitat in toga,
Longóque gliſcunt fune pediculi?
Ter mille vertex nutrit unus,
Quiſque pilum tenet inſtar haſtæ:
Miles cohortes efficit unicus.
Eunt ſequaces per juga tergoris,
Exercitus totus pedeſtris
Planitie dominatur amplâ.

Thorace

Thorace vivunt integra pascua,
Et nidulantes in caligis greges
Hiberna componunt stativa,
Castra tremunt legione multâ.
Sed vulneratos visere tempus est.
Jacent gregatim languida corpora.
Hic crure mulctatus reciso,
Ille manus dolet amputatas.
Stillant amurcâ marcida vulnera,
Cêu rosa tetro pure cucurbita,
Artúsque pannis obligati
Insolitâ gravitate fœtent.
Hæc qui profundâ mente pericula
Examinârit, nomen inhospito
Tradat Gradivo: se pusillo
Ære miser, pretióque vendat.

ODE XX.

Malæ, laxæque Conscientiæ incommoda. Ad Hominem similibus stimulis agitatum.

Quò ruis irrequieta pecus? animíque scelesti
Vertigo quò te pertrahit?
Frustra intemperiem prohibes, & prælia vitas
Domestici Sicarij.
Quamvis mortales oculos effugeris, at te
Coärguit mens conscia:

Quam-

Quamvis in ſpiſſis tenebris, latebríſq; repôſtis
Rem feceris, mens oblatrat:
Quávis nemo hominũ culpã cognoverit actã,
Teſtator unus ſufficit.
I jam, delicias varias tibi conſtrue. vermis
Te cenſor intus vellicat:
Mitte, remitte pilã, pendentémq; aëre ſphærã
Ad dignitatem ſubleva,
Ut nunquam pronus follis terræ oſcula figat,
Sed ſemper auras incolat:
A propria graviora feres tu verbera mente,
Quam ſentiat pugnos pila.
Egredere ex Patria. regiones viſe remotas:
Tecum moleſtus it comes.
Quaſcunq; accedas gentes, te ſemper habebis,
Sempérque te tecum feres.
Eſt immortalis ſerpens, dum permanet error
Pernox, & ipſe perdius:
Indulge genio, vernantíque utere ſorte:
Sincera non ſunt gaudia:
Infecto ſi dira latent in corde venena,
Ipſum mel eſt abſinthium:
Decipitur, quiſquis curis putat invia prata:
Figunt ibi tentoria,
Caſtráque metatur ſpatio majore tumultus,
Suáſque vires explicat;
Diſpoſitâ ſtant illæ acie, ſontíque minantur
Millena plus quàm ſpicula.
O quàm ſunt triſtes ipſi quoq; ſontibus horti,
Obnoxij ſuſpendio!

Quot

Quot ramos cernūt, numerosáq; arbore trun-
Aut Fraxinorum brachia, (cos,
Iſcariotæâ propè tot vertigine furcas
Sibi paratas autumant.
Larvatis ne crede genis, ſi gaudia fingant,
Sunt frontis hæc mendacia:
Si mētē inſpiceres, triſtiſſima mōſtra videres,
Manéſque plures funebres:
Apparent alij, quàm ſint in pectore, fuci;
Lætantur; & ſunt flebiles:
Multi dilatant patulas ad crimina mentes,
Amplámque conſcientiam;
Horrea diducunt, poſtéſque immanis hiatûs
Totis Camelis pervios,
Excoriāt culices, ſed molis vaſtæ Elephantos
Capace rictu glutiunt;
Stramineam calcare crucē ſcelus eſſe fatētur,
Sed fornicari non timent;
Obtorto Themidem manifeſtā ducere collo,
Et omne jus effringere
Crimē nō reputant. inopes vaſtare crumenas,
Leve eſt, egenos ſugere.
Falſa refert facies. ſermonis teſſera fœtet:
Sunt intus hi mæſtiſſimi.
Sunt perſonato labra tincta corallina melle,
Non, ut loquuntur, ſentiunt:
Intus agūt Furiæ, Damocliſq; exterret imago,
Diſtrictus enſis imminet:
Fucatis hoſtile genis abſconditur ulcus;
Non prodit in vultum lepra:

Limpi-

Limpida ſæpe anim⁹ diffūdit verba paluſtris,
Sed fundus horret ſordibus.
Scena alia eſt, quā fronte probi gaudēte propi-
Exſudat hæc ex pectore; (nant,
Stat cum mente decor, faciéſq; ſerena ſerenis
Eſt concolor præcordijs;
Non affectato frons eſt porrecta lepôre,
Lætatur intus & foris:
Se ſe tranquillâ Virtus hæc ſola potitur,
Sibíque ſola ſufficit;
Pace ſuâ ſpectat ferventia jurgia Mundi;
Quieta damnis intereſt.

ODE XXI.

AD OLAUM BEDULIUM

Cùm propoſiti pœnitens ex Religioſo Tirocinio exceſſiſſet.

SPes certa lucri eſt, quæ Patientiæ
Jurata fido ſtat vadimonio:
Non illa mercatrix fefellit
Ære ſuos vafra creditores,
Sed conſtitutâ luce ſatis facit
Pari monetâ: nomina liberat.
At ipſa crebrò copioſis
Fallitur inſidijs Ementum.

His

His addo lapſum jure BEDULIUM
Haud pertinacem propoſiti Virum,
Cùm nuper ex Arca Noëmi
Exijt, & pelagus reviſit,
Infame ſaxis, & ſcopulis mare,
Ad quos onuſtæ diſſiliunt rates.
Adhuc parumper ſuſtinendum
Illi erat, & docili capiſtrò
Jugum ferendum tempore perbrevi.
Defecit illum ſpiritus, & freto,
Unde enatavit, reſtitutus
Naufragium repetit Salutis.
Tenax virilis conſilij ſacrum
Hamum repandâ mente momorderat:
De Carne, de Mundo triumphans
Ex Patria properavit æde:
Vicit propinquæ blanditias domûs:
Vicit rogantem per Superos Patrem,
Vicit Sorores, ſanguiníſque
Congeniti querulum dolorem.
Per cuncta, dixit progenitor, ſacra,
Per ſpem Tuorum, per celebres avos,
Per omne, ſi quidquam paternum
Grande tibi eſt, miſerere gentis,
Quæ te ſupremo ſtipite nititur:
Depone mentem degenerem: ſtude
Proferre ceras, & vetuſtum
Proſapiæ retine nitorem:
I! perge: quò te pertrahit impetus,
Non pugno. totum ſed genus efferes,
Et ſtem-

Et ſtemma damnatum ſepulcro
Ipſe die tumulabis uno.
Nil tam potenti Rhetoricâ Patris,
Fortíque motus voce BEDULIUS
Palatio migrans paterno
Pulchrum abitum generoſus urſit.
At exeuntem limine filium
Parens ſolutis proſequitur comis,
Et obſerans poſtes, profundo
Se miſeram vocat ore matrem:
Ah! Nate, clamat, quis mihi per genas
Non invocatus nimbus inambulat?
Tu cauſa, tu pincerna fletûs:
Tu lachrymas mihi, Nate, fundis
Liquore ſalſas: hunc uterum vide:
Hunc, quo jacebas, reſpice carcerem,
Matríſque luctatæ dolores,
Dum tenero gravidata partu eſt:
Ah! parce formæ, parce tenerrimæ
Ætatis annis immeritus mori!
Quid ante tempus nondum adulto
Ingenuæ rationis uſu
Temet trucidas, & tumulo infodis?
O Nate, Nate! O dulce decus meum!
O corculum mæſtæ parentis!
O ſuper omnia chare fili,
Audi obſecrantem cum lacrymis tuam
Olim parentem, ſed viduam modò!
Ah! ſiſte curſum, provolutam
Reſpice commiſerate Matrem:

Invita

Invita non ſum: me quoque conſciâ
Fies, quod optas: ipſamet annuam,
Sed tempus expecta virile,
Commodius ſtatui legendo.
Lis non dirempta eſt. flumina filius
Materna riſit, cêu Crocodillina.
Per undam, & ignes evolâſſet;
Ipſa valens penetrâſſet æra
Sacris favillis auſa reſiſtere.
Fauſtum ſalutis principium fuit,
Cùm duplicem calcans parentem
Exilijt, vegetúſque ſenſu
DEO vocanti paruit, & ſatur
Mundo relicto, ſe Superis litans
Veſtes prehendit conſecratas
Sidereo ſpecioſus ore.
At rara Virtus non variabilis.
Repente magni propoſiti pudet,
Spretúmque reſpectans aratrum
Ad Pharias animatur ollas,
Cepas anhelat, cogitat allium,
Ad Mundum, & Orcum mox reditum parat,
Convaſat, & nido relinquit
Cæſariem, nitidáſque plumas,
Tonsóque riſum vertice commovet.
Neſcis, BEDULI, quis capiti tuo
Impendeat turbo malorum,
Quam Nemeſis tibi texat ulnam.
Impunè nullus transfuga calcitrat.
Periclitatur, nî caveas, ſalus.

DEI

DEI vocantis delicatum
Qui ſtudio reprimit favorem,
Næ dignus ille eſt, quem redamet DEUS.
Neſcis, BEDULI, quanta reliqueris.
Sed pœnitebit vendidiſſe
Vix obolo medio ſalutem.
Diúne firmo pectore ſaxeus
Offenſa perges Aſtra laceſſere?
Quouſque contempto reſiſtes
Mente DEO malè pervicaci?
Toto, BEDULI, falleris Æthere,
Si te Beatum divitijs putes,
Quas abdicatas jam reſumis,
Et titulos repetis priores
Valere juſſos duplice fœnore,
Unáque pœnam. ſcilicet ignium
Oblite caligantis Orci,
Nec ſtygiæ memor officinæ
Propinqua morti victima ceſpitas,
Inane nomen Divitis occupas,
Prudénſque necquicquam futuri
Grande NIHIL facis ipſe magni
Opes miniſtras ſollicitudinum,
Parcas ſoporis. Quàm melior fores,
Si perſtitiſſes, & Monarcha
Ditior exiguo cubili,
Turrita quàm ſi fortè Palatia,
Gemmíſve ſtructas incoleres domos;
Legéſque ferres Laureatis
Imperijs utriuſque Solis.

Non dives ille eſt, cuî Phrygijs domi
Centum laborant articulis acus,
Cuî lubricâ ſtat marmor aulâ,
Et nitidis laqueare fulcris:
Non ille, cujus lividus aureo
Tagus per ædes ambulat alveo:
Nec, cujus ad nutum crumena
Materiâ locuplete tinnit,
Verè beatus jure putandus eſt;
Sed ſacrá cujus pauperies domi eſt;
Qui tranſituris celſiorem
Fert animum, geniúmque pompis:
Illi duorum cellula paſſuum
Præ mille Mundis, quinque dodrantium
Conclave ſimplex, intuendo
Una Polo ſatis eſt feneſtra.
Hîc ille lætis cum Superis agens
Vitam quietus ducit amabilem,
Intérque libros eruditæ
Mortis amans, operitur horæ
Luctam ſupremæ, dum placeat DEO,
Mori paratus, nec ſibi conſcius:
Ætate tandem perſolutâ,
Et niveo ſaturatus ævo
Illuſtris inſtar decoquitur facis,
Aut more Solis tranſit in alterum
Formoſus orbem, qui rubentem
Occiduis ſpecioſus undis
Poſt ſe relinquit veſpere purpuram:
Timoris expers gaudet is emori.

Virtute

Virtute fretus, judicari
Non refugit, quia comparatus.
Nunquid, BEDULI, si manus ossea
Te verberato poste citaverit,
Quando migrandum est, sic migrare
Ex fragili cuperes mapali?
Exempla nostin' atque tragœdias
Apostatarum tot pereuntium?
Plerumque pœnas pejerati
Transfuga propositi rependit.
Impunè sed nec Tiro revertitur
A consecrata, quam tenuit, via:
Vestigijs hærens retortis
Pœna sequax profugum prehendit.
Adhuc perenni versa riget sale
Matronæ imago, quæ malè lubrica
Respexit ad fumum profanum
Jussa fugam facie irretortâ
Urgere velox. si jocus unicus
Tanto expiatus supplicio stetit,
Quæ pœna discerptis habenis
Perfidiam feriet rebellem?

ODE XXII.

AD SERENISSIMUM CASIMIRUM JAGELLONIUM POLONIÆ REGEM.

Cùm se Regni ejus potenti Sceptro abdicâsset, profligato antè Virtute Polonicâ Sueco, Regni ejusdem Impugnatore.

SAtur regendo fronte POLONICAM
Cedis Coronam (quâ Tibi verticem
Olim rogatus vestijsti)
Atque potens, CASIMIRE, Sceptrum
Manu prehensum reddis idoneâ:
REX esse cessas, ut magis imperes,
Utraque fortunâ petitus,
Et variâ memorandus Aulâ:
Cùm Te potenti præcipitantiâ
Suècus armis, & numero ferox,
Virtute fretus militari
Obrueret minimè paratum,
Et concitati turbinis inscium,
Capútque Regni Marte CRACOVIAM,
Arcémque firmæ bellicoso
Monte sitam caperent phalanges.
Pro Te GEDANUM (gloria VISTULÆ)
Stetit, paratum vincere, vel mori:
Exin

Exin POLONI restitutis
Ire animis, agilíque Marte
(Ut est vibrandi miles acinacis
Probè peritus) carpere VANDALOS.
Fortuna respexit labantes
Sensim acies meliore causâ:
Cùm more torti fulminis irruens
Disjecit hostes CÆSARENECCHIUS,
Prussósque Suecis fœderatos
Ire domum docuit, cruentâ
Viâ remissos. inde RAGOZIUM
LAPPOS juvantem fregit aheneo
Acer LUBORMIRUS Gradivo
Sarmaticæ ditionis hostem.
Subinde fausto pax redijt statu,
Regnúmque blandâ Sorte refloruit;
Dum Balticæ spumæ procellas
Excutiens docuit, POLONIS
Adhuc calorem gliscere dexteris,
Pressósque necdum repere Sarmatas,
Sed gloriosos, more Pardi,
In capulum remeare cursu.
At vanitatem Rex Solij videns,
Molémque Sceptri fortiùs intuens
Deprêndit immanes labores
Herculeis etiam lacertis
Non invidendos. Vidit, & horruit,
Volvénsque Magnum pectore CAROLUM
Decrevit, exemplo Monarchæ,
Divite se spoliare Regno,

Mentémque curis exonerans datâ
Regale ſanxit propoſitum fide,
Tergúmque ſubducens honori
Magnus Atlas, poſuit Coronam,
Sibíque vivens, non ſine gaudio
Venale tanto Sanguine punctulum,
Terrámque riſit diſputatam
Tot gladijs, furiíſque Regum.

ODE XXIII.

AD OPTIMUM AMICUM SUUM.

Vt ſibi à falſis hodierni Sæculi Politicis unicè caveat.

Ah! fuge crudeles tergo, ſed gutture blandos,
Contemne verboſos Vades,
Plurima, qui ſpōdēt, nec re promiſſa coronāt,
Fidémque pactam liberant:
Qui placido vultu figūt mille oſcula dextris,
Et te ſalivâ proluunt:
Qui dubio lingunt condîtos melle favores,
Auláſque mulcent baſijs:
Artifici qui fraude nitent, duplicíque palato
Linguam gerunt vaferrimam:
Qui vigili mentis rimati lynce medullas
Secreta palpant cordium,

Cêu

Cêu Medicus venā tangēs,qui plurima ſentit,
Sed pauca verbis indicat:
Quíque oculis dubij,ſtellis fallacibus ardent,
Lævúmque nictant tergore.
Declina pictas volucres, Picáſque loquaces,
Et Pſittacos, & Simias,
Qui cochleæ ritu gaudent habitare repôſti,
Laténtque ſub teſtudine;
Queîs eſt nulla domi ſincerâ luce feneſtra,
Sed plena mens eſt cratibus:
Qui linguâ duplices, atræque Inſignia bilis
In vultibus circumferunt:
Qui per Magnates ſtruxere ad grandia pontē,
Altúmque rident cæteros:
Qui ſua larvatis comentes ſenſa figuris
Fallunt, ſed in ſilentio.
Turba ſuſurratrix quot fœdera sācta diremit,
Vix ipſa non connubia?
In quot amicitias ſpurio hoc penetrāte vene-
Fraterna pax omnis ruit? (no,
Hos fuge,quorū nō tibi ſtat perſpecta volūtas,
Quos noveris, nec noveris:
Qui ſibi, nō tibi præſentes, dū florida ſors eſt,
Suam crumenam nutriunt,
Et procul, ut culices, moriēte cadavere cedūt,
Aut muſcæ, ubi mel deficit.
Si flagrat Ucalegon, nullū numerabis Amicū,
Se turba, non te, quæritat:
Tempore cêu Verno nivibus fervore ſolutis
Torrens facetus perſtrepit,

Aſt Æſtate locus ſpiſſis ſicceſcit arenis,
Conſumpta cùm ſunt pocula.
Sic pariter multos paraſitos Sorte virente
Domi benignos nutries,
Sed tua cũ fuerit pinguedine nuda crumena,
Cedent, licet rogaveris;
Emulgere cati numos, tibi blanda loquentur,
Bolo relato pejerant.
Expertus didici peſtem, ſuffoſsáque nôvi
Sagace fraude pectora:
Nôvi ego fucatam lanam, vafrúmq; colorem,
Fratréſque falſi anhelitûs:
Nôvi ego Vulcanos ſcelerũ, mendacia cudunt
Encauſta mille fraudibus.
Nec te decipiet gens ampliùs iſta profana,
Si ſurdus ipſe factus es.

ODE XXIV.

AD PARENTES GERMANIÆ

De incommodis, quæ ex miſſione filiorum in exteras Regiones oriuntur.

MIttimus Cycnos procul, ut remotos
Advenas viſant: revolántque corvi;
Extero tinctus remeat colore
Patrius Iſter

Sequanâ

Sequanâ miſtus; Thamesíque viſo
Angeli nulli redeunt, ſed Angli,
Ménſque ſincero celebrata vitro,
Candida verbis
In via ſpiſſis vitiatur umbris,
Quóque vas tinctum ſemel eſt liquore,
Halitu conſtans redolente vappam
Ructat eandem.
TEUTONI fœtet quoque lingua duplex.
Antehac nunquam ſemel elocuti
Fluxa GERMANI periere verba
Aëre ſcripta:
Aſt, ubi Nati peregrè profecti
Regna viſerunt aliena, ſecum
Fraudium pictas retulere vafra è
Sindone telas.
Curijs ſenſim, Themidíſque Regno
Mos hîc irrepſit pede vix notato.
Optimos patres mala conſecuta eſt
Ordine proles,
Quæ peregrinos licitata mores
Nuper induxit Patriæ, novámque
Suſcitans rerum faciem, priorem
Suſtulit Orbem.
Inde veſtitûs hodierna monſtra,
Et proceſſoſo caligæ tumore,
Pilei miri patriâ videntur
Ludere terrâ:
Inde probroſa eſt ſpecies comarum;
Integer longo Leo flavet auro,

Turcico duplex tenuata plumat
Myſtace barba:
TEUTONES olim monimenta tradunt
Ore Barbatos, modicos fuiſſe
Crinium, longos neque protuliſſe
Vertice cirros:
Nunc fluens manat coma, barba curta eſt;
Rima ſtat mento nigra fimbriato,
Parva ſubtili modicè exarata
Linea filo:
Nec ſuam callet propè Teuto linguam,
Advenam novit, licet indiſertè,
Guttur accentum. peregrina paſſim
Sibila ſtrident.
Eſtné tam largis via comparanda
Illa jacturis, ſcabiéque morum,
Exteros ut quis videat patentis
Orbis acervos?
An mare Hollandum, Venetæque naves,
Urbium moles nova Belgicarum,
Gallicæ veſtes iter id merentur
Divite ſumptu,
Ut tuum Natum tenerè educatum
Ire concedas procul à paterna
Æde disjunctum, ſceleríque tradas
Inſtituendum,
Ut dein turpi Patriam reverſus
Inquinet luxu, niveáſque mentes
Ipſe ſeductor violet, doloſo
Corda veneno?

Sperni-

Spernimus canos abavos, avósque,
Nec macras casto senio intuemur,
Quæ domi restant, facies Parentum
Pulvere plenas,
Obsitos fumo sapiente vultus
Simplici cultu. novitate tandem
Splendidè nobis placet interire.
Intereamus!

ODE XXV.

ENTHUSIASMUS AUCTORIS.

Cùm Sacram Regum Historiam volvens paucissimos in ea melioris Notæ ISRAELIS Reges invenisset.

LEgi, relêgi tempora temporum,
Fastósque Regum, qui diadematis,
Et Marte quæsitis coronis
Indomitum caput induêre.
Ex his quaternos vix reperi Bonos,
Qui temperatâ sceptra licentiâ
Hebræa gestantes, scelestâ
Non Solium tenuere vitâ.
Præter DAVIDEM (qui malè lubrico
Nictans ocello factus adulter est,

Sed purpuram lavit, decôris
Ut lacrymis foret undulata)
Vix EZECHIAS invenies duos,
Et tres JOSIAS. cætera fæx Ducum,
Regúmque farrago ſceleſta eſt,
Nec ſpurio memoranda ſceptro.
Mutant honores ſcilicet indolem,
Et nidulari cyclade regiâ
Peccata gaudent pinguiora,
Tuta ſuo fruitura flore
Sibi voluptas tota relinquitur,
Plenóque aſylo, quod lubuit, facit.
Fores apertæ provocato
Stant ſceleri, vitiiſque porta.
Quot in Tyrannos degenerant Duces,
Probíſque fiunt intolerabilês,
Dum Regna ſugunt, & gravatos
Exagitant populos tributis,
Cêu major Iſter, quà fluit, impetu
Sorbet minorum flumina gentium,
Latáque diteſcens rapinâ
Continuas ſatiat procellas?
Sic ROBOAMUS ſævijt in Suos,
Et imperatas ære pecunias
Referre certus, deſtitutus
Obſequio eſt, medióque Regno.
Sic JEZABELI plus nimio favens
Effeminato fulmine perculit
ACHAB NABOTUM, poſtulatos
Cùm pretio renuiſſet hortos.

Faſtigia-

Faſtigiato vita tumens throno
Rarò pudica eſt. Sic SALOMON Procus
Libidines ivit per omnes,
Atque olidas ſcelerum lacunas.
Quin ipſa multis excidit & Fides,
Ac templa, ſacro quæ ſteterant foro,
Æquata terræ, vel Deorum
Sacrilego violata cultu:
Juſſu MANASSIS montibus editis
Luci virentes undique conſiti
Stabant PRIAPO dedicati
Luxurijs, ſtabulóque pleni:
Erat Tyranno Jus gladij breve,
Furórque damnis inſatiabilis:
Cæſi Sacerdotes, & ipſæ
Præcipuæ ſine lege Mitræ:
Cruoris illum non reverentia,
Vitæque movit commiſeratio:
Perinde Mortales perempti
Cêu pecudes, vituli, vel hirci.
Hæc mente volvens peſſima Culmina,
Malóſque Reges, extimui ſtatum,
Illáſque dextras execratus,
Aurea queîs reſideret ulna,
Valete, dixi, Sceptra potentia!
Stetiſſe paucis profuit hactenus,
Repſiſſe multis, infimáque
Sorte, humili jacuiſſe valle:
Suöpte quævis Alta tremunt loco.
Vertigo magnis Verticibus data eſt.
Mon-

Montésque crebrò fulminantur,
Tuta Jovis residet myrica:
Plerumque celsis turribus Æolus,
Ventíque juncto turbine litigant,
Campi quieti concitato
Hoste vacant, tumidóque flatu.
Parvo phaselo, litora qui suâ
Rodit carinâ, non Boreas nocet,
Ast integras classes in alto
Æquore dilacerat Tyrannus.
Magnum eminere est, nō genere, aut Domo,
Sed mente, solos quæ Superos sapit,
Cœlóque fixa est. una virtus
Supra apices, cathedrásque Regum est.
Hæc innocentis fulgura nominis,
Hæc lux honestæ est inclyta gloriæ,
Quâ plus Monarchæ floruere,
Quàm titulis, Aquilísque gestis:
Hæc delibutos murice pileos
Imponit illis, qui fugiunt coli,
Quædámque paupertas in auro est,
Et medijs loculis egestas
Nil concupiscens, omnia possidens,
Cêu fons perenni flumine sat sibi
Ditescit, ac spretum liquorem
In steriles jaculatur agros.
O inquietis plena tumultibus
Pusilla Tellus! quam tamen impijs
Martis fatigatam duellis
Scindimus, indomitísque votis

Per

Per ignem & undas, per mare quærimus,
Vastásque Syrtes. Esto! periverint
Reges ducenti: cras trecentos
Immemores tragici theatri,
Tristísque scenæ repperies Procos,
Valere jussâ qui Superum Domo
Prensare gavisi Coronas
Imperia anteferent Olympo.

ODE XXVI.

AD ILLUSTREM ADOLESCENTEM ODORICUM DE ANATOLIJS Ill.mi D.ni ERCONWALDI DE ANATOLIJS FILIUM, ARTIUM LIBERALIUM, ET EQUESTRIUM AMATOREM EGREGIUM.

De Cultu mentis, præ corporis, solicitè promovendo.

SUnt, quas perspicuâ sindone Comptulas
Tralucere juvat, queîs meretricio
Fucatis stibio nudo humero placet
Urbe incedere publicâ.
Hic sexus tenerâ mollior indole
Crines vibrat acu, consilio vitri,
Hæréns-

Hærénſque ad ſpeculum ſolibus integris
Debet labra coloribus:
Mendicam faciem è pixide proferunt
Nugaces HELENAE: ſanguine viperæ
Pinſunt purpureas ſollicitæ genas;
Sic coctæ properant foras
Veſtitæ ſanie muricis Indici,
Pérque ingens ſpatium divite ſe rotant
Appendice togæ, ſordida prodigo
Verrunt ſyrmate compita.
Hæc tractet mulier! ſunt ea propria
Imbellis pecudis: celſior at Cruor
Stagnat maſculeis mentibus inditus,
Natura äëreæ facis.
Sublimis genius, ſpiritus igneus
Ebullire ſagax, natus ad ardua,
Surſum ſubſiliens mollia reſpuit,
Nec curat muliebria.
Comatur potiùs mens docilis viri.
Aſpiret juvenis: digna tubis cani
Edat facta: ſuas ornet imagines,
Majorum ſeriem colat:
Qui nolit ſtudijs, militiæ vacet:
Mercatus celebrem ſanguine gloriam
Hoſtes exilio mulctet, & impigrâ
Defendat Patriam manu.
Multos caſtra juvant. fortia nomina
Heroes acuunt cedere neſcios,
Bello partus honos, terror inertium,
Armis debita gloria.

Loricâ

Loricâ meliùs membra ſuperbiunt,
Quàm ſi purpureis mollia veſtibus,
Aut ſi femineis eniteant togis.
Malo ferrea corpora.
NARSES talis erat cum BELISARIO,
Et noſtro celeber tempore TILLIUS:
Omnes hi rigidi veſtibus æreis
Ferro munierant latus.
Tales & fuerant, quos numeras, Avi,
Talis Progenitor, totus aheneus,
Vir campi nimius, Martius Hercules,
Armatæ Patriæ decus.
Quin ergo galeam tu quoque bellicam
Torvo aptans capiti progrederis Leo,
Et trux in cuneos, atque leves Getas
Te libras medium ferox.
Aude dignum aliquid ſtemmate Martio!
Decerne, & calidas, quas ager Hungarus
Guttas ſanguineas imbibit, ebibe
Exempli patrij memor!
Arma te tonitru Bellicus æreo:
In cono galeæ Struthio plurimus
Signo lætitiæ nidificet; gere
Nõ ſegnem capulo manum!
Nec tantùm fremitus ſuadeo bellicos;
Debetur ſtudijs & ſua gloria;
Si docto populis conſulis otio.
Sta pro CÆSARE fortiter.

ODE XXVII.

ODE XXVII.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

Eadem ſine labe concepta omnis creatæ pulchritudinis Victrix oſtenditur.

LAudes, creatis quæ veniunt labris,
AUGUSTA VIRGO, MATER AMABILIS,
TE plus opacant, quam perornant,
Plus nebulæ propè, quàm diei
Addunt triumpho. purior Angelis,
Et dignitate es proxima Numini.
Hinc, quicquid in terris amænum,
Vilius eſt, cüi comparêre:
Nam ſive gemmam dixero, ſeu probum
Altore vitrum progenitum Polo,
Vel rore lactatum SMARAGDUM,
Aut vigilem radijs PYROPUM,
Aut educatum Solibus arduis
(Prolem parentis lucis) JÄSPIDEM,
Plus Margaritâ es, plus Smaragdis,
Quos rutilâ bonitate vincis:
Si TE pudicis contulero Roſis,
Et purpuratis corpore Tulipis,
Victrix triumphas ſplendidorum
VIRGO PARENS ſimulacra florum:
Undan-

Undante non tam ſanguine nobiles
Illis renident purpureæ genæ;
Formoſa non tam lilieto
Eſt ſpecies nivis, & pruina:
Major, PARENTI eſt gratia VIRGINI,
Carétque ſpinâ Planta ſatellite,
Laſcivientem non odorem
Hæc redolet genitoris ADAE.
Non illa (primo quæ Viridario
Morſu peremit Semideum Patrem)
POMONA fatalis Nepotum
SIDEREAE nocuit PUELLAE,
Sed ſonte ramo præterijt, ceü
Hæres Adami filia non foret;
Menſámque communis ruinæ
Occuluit timido pudore.
Si quis beatam dixerit arborem
MATREM VENUSTAM, qualis in arduo
Surgens Olympo, vel ſuperbo
In Libano ſpatioſa creſcit,
Virago CEDRUM, quæ tumulo caret,
Putríque morſu, nec tineæ ſubeſt,
Et cæteros ſylvæ Dynaſtas
Auſpicio meliore vincit:
Sed nec profundâ PALMA ſedens humo
Tam pulchra frondet, cùm Zephyrus jocans
Pectit capillos germinantes
Arboribus, trepidóſque crines
Fugâ ſolutos rurſus in ordinem
Leni reponit garrulus halitu:

Non

Non tam decenter pullulascit
Irriguo CYPARISSUS horto.
Adeste fontes perspicuo freto,
Claróque potu candida flumina,
Argenteo castæ liquore,
Virgineo sabulo procellæ!
Non tam nitenti defluitis vitro,
Quando morantem truditis alveum
Per scrupulos fundo sepultos,
Et querulos agitis lapillos:
Non tam decoro flumina gutture
Formosa ripæ basia figitis:
Non tam diserto vos susurro,
Et liquido ruitis metallo,
Quàm GRATIARUM nobilis ille FONS,
Et vena vitæ, quæ locuples aquæ
Viventis ebullit, sacrásque
Oceano lacrymas maritat,
Crystallinóque erroneus alveo
Dulci propagat flumina nectare.
Illimis ipse est, nec maligno
Simplicitas temerata vento.
Exempta sola es nequitiâ Patris
Traductâ in omnes MATER AMABILIS:
Cùm cæteros Adæ notâsset
Opprobrium luteos Nepotes:
Adhúcque nobis guttura dentiunt
Probrosa ab esca. Posteritas luit
Uxorij pomi medullam
TE niveâ remanente solâ.

Et Astra

Et Astra sordent denique. nil Tibi
Stat conferendum. quicquid in intimis
Scintillat Astris, gratiarum
Divitijs opulenta vincis:
TE calceatam supplice Cynthiâ
Faces adorant, & vigilem Tibi
Plectunt coronam, gemmeísque
Obsequium renovant favillis.

ODE XXVIII.

Suavissima S. FRANCISCI XAVERIJ ex calida febri decumbentis & CHINAM suspirantis in Sanciani Litore deliria, & consecuta pretiosa mors.

VElut racemi, quíque botris latet
Intercus uvæ sanguis, idoneum
Solem requirunt imminente
Jam senio melioris anni,
Qui grana limâ molliat ultimâ,
Fortíque gemmas perpoliat die,
Æstúque, victâ cruditate,
Excoquat ambrosiam Lyæi,
Sic ille grandis PAMPINUS Indiæ
In fine vitæ febribus intimis,
Et Sirio quodam dolorum
Cœlo inhians fuit absolutus

Amoris

Amoris Ætnâ. Cernite morbidum:
Ut fronte totâ flammeus æstuet,
Venaticus tanquam Molossus,
Qui spolio rediens prehenso
Trahit citatum fessus anhelitum:
Sudore rorant tempora depluo,
Quem flamma gliscens eliquato
Intus alit, tenuátque succo.
Vix rusticanæ tecta domunculæ
Nactus, patenti litore procidit
Vir sumptuosus, frigidáque
Indomito febrit igne ripâ:
Manus honestum complicat in situm,
Cœlóque figens ignea lumina,
Dissuaviatus mille linguis
Effigiem Crucis, ore sugit
Expressa quinis Vulnera Fontibus.
Delirat æstu, at non nisi suaviter.
Audite præclaram phrenesin
Morte suâ magis eloquentem:
O arefactam me, DEUS, arborem!
Hortóne frustra me toleras tuo?
Eccur scelestum non revellis,
Pondus iners, saniémque Mundi?
Quid? éstne longis CHINA novissimè
Aperta muris? quid mihi nuncias
Felix PERERI? quin uterque
Imus eò: citò navigemus!
O CHINA, CHINA! O portio nobilis
Matura CHRISTO! quàm tibi gratulor!
An ista,

An ista, quam cerno micare
Eminus, Urbs caput est BECHINUM,
Aut glorioso nomine FOCCHIEN?
Imò BECHINUM est! cerno Palatia
Superba pinnis, consecrare
Quæ Superis decet, atque Cœlo.
Dum hæc geruntur vî febris igneæ,
Aperta vena est. exilijt cruor
Calore fumans. gestiente
Ille tuens oculo liquorem
Pergit jocari: quid (Superi boni!)
Felicitatum hæc prodiga copia?
Men' Martyrem vultis CHINENSES,
Quin etiam facitis cruore,
Quem cerno fundi? non mihi gratiam
Hanc fecit Indus, non facilis Japon:
Ferite, torrete, ustulate!
Vester ego moriar Patronus
Cœlo futurus: dicar ego meo
Vos nundinatus sanguine: sed meo
Huîc hospiti, quæso, PEREIRÆ
Parcite: sons ego, justus ille est.
Quid mussitantes audio? ego febri,
Ego laborem? consilium scio:
Præbete CHINAM CHINÆ: habebit
Vis meliùs febrientis æstûs;
Morbus remittet, si pateat mihi
Clausus sigillo murus aheneo:
Deferte me, quæso, BECHINUM
Ad medicam Regionis auram:
Ibi le-

Ibi levabor. quàm ſitio interim,
Dum reddar illuc? ah! date poculum
Aquâ refertum ad proluendos
Fonte ſacro populos Chinenſes.
Hæc prolocutus, leniter oſcitans
Dormire cœpit: mox ſibi redditus
Rogat, Gubernator Malaccæ
ATTAIDES meliore mente
Num fortè culpam fleverit, & ſcelus
Nuper patratum? num Socij novi
In Indias ex Occidente
Appulerint, numeróque quanti?
His ille curis ſub febre conflagrans
Delira ſolvit dulciter organa:
Tum meſſe confectus laborum
Morte obijt, placidóque fine.

ODE XXIX.

S. FRANCISCVS BORGIAS Dux Gandiæ Certamini Ardearum, & Falconum ſobriè intereſt; eóque durante Aucupium Dæmonis circa animas ab eo interceptas profundè meditatur.

ADeſt triumpho, quem digitis rapax
Falco prehensâ tranſigit Ardeâ;

Adunca

Adunca quando latro roſtra
Hoſte minax fugiente mergit.
Palæſtra cœpit. prævolat Ardea,
Scribítque curvos aëre circulos:
Venaticus Falco priorem
Poſterior ſequitur volantem:
Hoſtem patenti conſpicit Æthere,
Locúmque vindex invidet æmulo;
Obliquus ergo, vix notato
Remigio, ſubit in duellum,
Et altioris ſollicitus loci
Morti vagantem deſtinat Ardeam;
Senſim reducto ſe volatu
Exhibet, & pugili propinquus
Indicit iras. ambo parant minas:
Hinc latro pugnax, hinc ruit æmulus.
Fortuna pendens præliorum
Ancipiti variatur arte:
Loco potitus Falco ſupervolat,
Doctóque claudit circuitu fugam,
Non tranſitum prædæ daturus,
Nî ſolidis reſeretur armis.
Actum eſt. puſillo pectore palpitat
Tranſcenſus hoſtis. celſiùs evolat
Latrocinari Falco doctus,
Et refluis ſinuoſus alis
Inſtar ſagittæ decidit in ſcopum:
Hæc fraude vires oppoſitâ premit,
Aſtúque virtutem morata
Ambiguam facit eſſe palmam:

S Corpus

Corpus ſupinans contrahit in globum
Extante roſtro: ſub tumidis caput
Abſcondit alis, & patronis
Exerit inſidijs acumen,
Quô ſe parato transfodiat veru
Venturus hoſtis. Nil gladij minas,
Et cuſpidis ſtrictæ machæram
Falco minax veritus, peritis
Declinat alis, & latus ictui
Adhuc relictum cuſpide verberat.
Nec morte jam fortis propinquâ eſt
Ardea. decidit ex palæſtra.
Finita ſcena eſt. plauditur. at dato
Signo Magiſtri Falco revertitur
Mercede donandus. peremptæ
Cor reliquo tremulum calore
Victori in eſcam traditur alitis.
Hæc plena riſu, plena cupidine
Theatra FRANCISCUS modeſtis
Fert oculis, tacitáque mente
Verſat, reverſat Dæmonis Aucupis
Fatale bellum, quo caveâ Stygis
Emiſſus, aſtu, víque apertâ
Falco animas capit innocentes:
Spectat Columbæ funera plurimæ,
Unguéſque ſacris mentibus inditas;
Deplorat infauſtam ruinam,
Exitium pereuntis Orbis.

ODE XXX.

ODE XXX.

AD HECTOREM THOMASINUM AMICUM SUUM.

Severiores Scientias non nisi maximo, profundissimóq; labore, speculatione, & industriâ tandem comparari.

LUcrum est, avaro montis abstrusi specu
Aurum repôstum prodere.
Ferax metalli terra, & argenti parens
Quot scissa sentit vulnera?
Dum curiosus ima scrutatur ligo,
Quàm saucium ventrem dolet?
Perfodimus uterum; matre confractâ nitens
Proles metalli quæritur.
Quot patitur æquor verbera austeræ ratis?
Quot vapulat remis mare,
Donec natator artifex undis fluens
Piscetur inde Iaspides?
Pretiosa quæque fraude naturæ latent
Cippo profundo condita,
Ut inde sallsus eruat gazam labor,
Locúsque sit solertiæ.
Sic nec revelat sponte se claro die
Severitas Prudentiæ.
Illam videre limpido vultu cupis,
Tersáque fronte lucidam?

Velamen obſtans amove, expugna ſeras,
Scientiæque cardines.
Munita non arx editâ pendens petrâ,
Sedénſque montis vertice
Se credit hoſti; ridet aſſultus leves,
Experta vires, deditur.
Quot ſubſtruuntur mœnia, at ſolo cadunt
Tandem labore ſubruta?
Arx eſt ſuperba monte prærupto ſita
Sublimior SCIENTIA:
Hâc qui potiri cupiat, in fibras eat
Telluris imas: excavet:
Suffodiat Urbem, rémque cuniculis agat,
Petráſque nitro dividat.
Uti profundo quiſquis ingenio volet,
Illi patebit unico:
Hinc ne recedat: pertinax belli ſemel
Obſeſſa cingat mœnia.
Es quæſtionem nactus, exhauri morâ,
Ut nil ſuperſit, improbâ.
Hæc una laus eſt militis, ſi ſit tenax
Laboris & conſtantiæ.

ODE XXXI.

ODE XXXI.

AD SANCTUM SUUM TUTELAREM ANGELUM.

Accepta ab eo Beneficia AUCTOR commendat, ac prædicat.

EUCHARISTICON.

CUSTOS fidelis, nobilis ANGELE,
Expergefactâ qui facie DEUM
Semper tueris: qui Supremi
Arbitrij vigil executor
Hinc inde ventis ocyor advolas,
Queîs me Clientem (non meritum licet)
Donis beatum compulisti,
Ut famulus maneam perennis,
Et gratiosis nutibus obsequar?
Laudare mens est sollicitudines,
Divine PRINCEPS: gloriosæ
Mille Tibi jugulentur odæ,
Tuis dicandum munus honoribus.
Civilis in me, comis, & indole
Placens amœnâ profuisti
In dubiæ mihi sorte vitæ.
Sternace quondam vectus equo Puer
Præceps ruebam sessor inutilis,

Pendénſque calcari ligatus
Per loca ſenta ſitu trahebar;
Jámque in propinquum dandus eram lacum,
Certò hauriendus. TU medicâ manu
Me ſuſtuliſti, ne perirem,
Et ſtapedem mihi liberâſti.
Noctu, quietis omnibus in domo,
Exortus ignis miſcuit omnia,
Fumóque ſuffocans propinquos,
In cineres abolevit ædes:
Vix ſat modeſtè tectus ego, tuâ
Dextrâ prehenſus per patulas fores
Incendio liber voraci
E mediâ ſtyge provolavi.
Serena quondam me facies Poli,
Risúſque Solis, Flora Smaragdina,
Virórque agrorum, temperatâ
Flans Zephyrus juvenilis aurâ
Æſtate primâ, cùm pariunt Roſæ,
Tellúſque ningit candida lilijs,
In rus citabant. proniore
Vado die, ſubeóque ſylvam:
Repente Cœli vultus inhorruit:
Micare flammæ: jámque volubili
Errare fulgetræ flagello:
Undique nubila murmurare:
Sævire glandes, teláque fulminum
Mitti deorſum: nocte celerrimâ
Inductus Orbis civitatem
Ex oculis rapuit propinquam:

Cadit

Cadit trisulcâ cuspide spiculum,
Plenóque flammæ profluvio rubens
Exerrat in quercum sagitta:
Quæque caput mihi contigisset,
Te protegente, invadit in arborem.
Jam me putabam fulmine saucium:
Humi jacebam destitutus
Viribus: auxilio venîbas.
Illuc reversus, Te duce, fulminis
Die sequenti legi oculis iter,
Fissámque plus, quàm mille rimis
Intuitus patuisse quercum,
Et trunca cernens brachia stipitis,
Sub quo jacebam, grande periculum
Notare cœpi, quíque cusus
In caput hoc fuerat lapillus,
Errâsse nôvi compositâ fugâ.
Necdum bonorum terminus, aut quies:
Incautus infans, vix triennis
Præcipiti ruditate cultros
Tractare suêvi; nec lanio puer
Adhuc metalli vulnera noveram;
Cùm sæpe cervici propinqua
Stans acies jugulo immineret,
Tuâ retracta est sica ferox manu,
Ne constitutâ cuspide pergeret.
Utrumque fregissem Puellus
Sæpe genu petulante saltu,
Scalísque præceps per tredecim gradus
Fuso cerébro victima præcoci

Morti litandus finijssem
Ver juvenum, nisi Tu fuisses,
Et sospitator me retinens manu,
Aut veste prensum, continuum necis
Cursum stitisses. Te Patrono
Vita stetit viridis Clienti.
Palmare narro: Quondam Aviæ tener
Hortum subivi, méque domestico
Stravi vireto; admurmurante
Virginei speculi liquore,
Dormire cœpi nil metuens necis;
Et ecce! serpens lividus, & virens
Sævo veneno de cubili
Egrediens, radiante Sole,
Frequente spirâ volvitur in globum,
Et virulentos duplicat anulos:
Per ostium oris stans apertum
Jam Coluber subiturus ater
Se surrigebat. tempore provido
Me vellicâsti: suscitor. & malum
Adesse præsens, ac minacem
Cerno necem, tumidámque pestem:
Accerso fustem: terreo viperam.
Viso flagello tacta retro salit,
Et sibilans bis, ter, quatérve
In patriam remigrat cavernam.
Serena terso nox erat Hespero
Lucente Lunâ. tempore quo nigris
Abusus ad crimen tenebris
Pervolitans equitatus ater,

Séque

Séque inquietæ circumagunt ſtriges,
Veneficarum turbo phalangium.
Harum una vexans dormientem
Pectore pondus iners reſedit,
Gulámque ſtrinxit ſarcina Tartari:
Nec ſtrangulatâ voce laceſſere
Opem propinquorum licebat
Sub digitis coëunte collo:
Fuliginoſam, Te duce, belluam
A me removi. Fulmine Noctuam,
Anúmque fumo nigriorem
Ex laribus procul expuliſti.
Hæc præſtitiſti. plura ſilentio,
Clemens Achates, dona reſorbeo;
Quæ mente gratâ non vetuſtas,
Nec veniens abolebit ætas.

ODE XXXII.

AD ILLUSTREM JUVENEM PINTUM RANELSIUM

Non minimam Nobilitati notam, ac labem inuri Literarum ignorantiâ.

QUando minorum Siderum inſtabiles faces
Obſcuritatem contrahunt,
Vix nox notatur parvula, & lucis fuga
Vix imputatur ſtellulis;

At quando Cæſar Siderum Phœbus ſatet
Atris tenébris languidus,
Miratur Orbis, principem noctem dolet;
Accurrit ad ſpectaculum.
Natura mente provida hos magnos creat,
Illos ad umbras abijcit:
Hinc, quando vulgus nubibus pigris latet;
Nemo tenébras exprobat;
Illuſtris at ſi quiſpiam Sceptris ſatus
Laborat ignorantiâ,
Equéſque Regni, nobili cretus Patre
Obſcurus eſt Scientiâ,
Morbus notatur Aulicus, tectus licet;
Eclypſis illa turpis eſt;
Exſibilatur ingenî furtum jocis,
Monſtratur error pollice.
Si nil Opifices noverint, quàm malleum,
Et arma fari ſordida,
Nemo execratur. ſordidos ſordes decent,
Tractant fabri fabrilia;
Non ſupra amuſſim iſta fœx populi ſapit,
Nec Sutor ultra calceum.
At quando claro ſanguine illuſtres Viri
Loqui ſuperba neſciunt
De jure Regum, déque Regnorum ſtatu,
Negotiíſque Principum,
De ſuſtinenda Patriæ Republicâ,
Provinciarum legibus,
Pridémque lapſis ſæculis, bellis, tubis,
De nationum jurgijs,

Vel

Vel de Coronis exteris, de litibus
Hiſpaniæ vel Galliæ,
De controverſo Belgio, Burgundia,
Captíſque nuper Urbibus,
De militari gloria, & magnis Viris
BUCQUÔÏO, vel TILLIO,
Vel de procellis Suecicis, Polonicis,
Terroribúſque Turcicis,
De temperando præliorum ſanguine,
De perpetratis ſtragibus,
De clade Luzæ, Lipſiæ, Nordlingica,
Captáque nuper Candia,
De curiarum munere, & trito ſtylo,
De jure dicundo Reis,
De ſublevandis ſubditorum ſarcinis,
Et de catenis fœderum.
Si mutus adſtet Nobilis, cùm talia
Narrantur ore turgido,
Ridetur inſtar ſimplicis. contemnitur,
Cêu qui ſalem non linxerit:
Ipſe peregrinus audit hiſtoriâ: tribus
Vix æſtimatus Julijs
Vili latebit angulo, & nunquam valens
Emerget in meridiem;
Neglectus Aulis Principum ignoto lare
Privatus abſumet penum.
Hoc inſciorum præmium ignavos manet,
Sancita merces deſidum.
Hanc, PINTE, labem nominis dexter fugis
Per plura milliaria,

Dum glorioso Sanguini das conjugem
Illustrior scientiam;
Dum Liberales inter insignis Deas,
Intérque Lauros assides,
Quæ Te theatro publico, & luci parant
Nullis tegendum nubibus,
Sed instar Urbis edito sitæ loco
Totis videndum Gentibus.

ODE XXXIII.

Insignis CAROLI SPINOLÆ, FRANCISCI MASTRILLI, cæterorúmque Japonensium Martyrum è SOCIETATE JESU Constantia prædicatur.

LEntos per ignes, & pigritantibus
Flammis favillas pergitis ad decus,
Et Martyrum Palmam camino
Diripitis propè feriato:
Morosa nil vos ignis inertia,
Flammæque torpor proposito movet,
Nec languidæ prunæ remoto
Imminuunt animos Vesevo.
Augetur æstus. sed Duce SPINOLÂ
Omnes triumphant, materiam rogi
Flammis daturi de calore
Pectoris, & titione mentis.

Tor-

Torrentur omnes. ſudor in ultimos
Excitus æſtu corporis angulos
Per ora ſtillans, arefacto
Vertitur in clibanum canale.
Tormenta cantu nobilitant ſacro
Fornace læti; plus Stygis expetunt.
Præ cæteris fulget ſerena
Frons CAROLO, ſimilis metallo,
Quod conglobatis ſudat in ignibus,
Refert decoris vultibus ANGELUM;
Carbunculi ſervans nitorem
In media modulatur Ætna:
Illuſtrem avito Sanguine Principem
Ne me deinceps prædicet Italus,
Sed igne, quo Martyr liqueſco;
Hinc generis mihi ſplendor omnis.
Mox fumus ingens, & ſapidus vapor
Se miſcet Aſtris, jámque volumine
Scandens odorato crematus
Ad Superos migrat ille Phœnix,
DEUSque opimas olfacit Hoſtias
Rogo expolitas. in cineres abit
Mortalium flos inclytorum
Victa trahens Elementa Victor.
Hâc parte luctam SPINOLA finiens
Cœlum per ignes fortiter ambijt,
MASTRILLUS illâ, dum per undas
Ingreditur, tragicámque foſſam,
Paríque conſtans robore militat.
Inverſus illi non nocuit ſitus,
Firmúſ-

Firmúſque pendens in procellis
Exilijt, ſitiens Olympi.
Addictus enſi eſt. geſtijt ad necem.
Nudat paratum lictor acinacem.
Machæra lucet, lubricúmque
Funereâ ſtatione ferrum.
Rubere certo tramite vulnera
Vidiſſet hoſtis, nî querulo ſono
Allapſa vox Cœlo minantem
Jam jugulo increpuiſſet ictum,
Languere juſſum. diriguit manus,
Captúmque nervo ſoſpite brachium,
Ferrúmque ſicâ bis vibratâ
Se refugo cicuravit enſe,
Ut non feriret: tertia denique
Caput revulſit dextera. floreat
MASTRILLUS illuſtri creatus
Sanguine, ſed melior profuſo:
Quem celſa Virtus, quem pudor innubus
Undáque & igni non penetrabilis
Induxit Aſtris, quem laborum
Vis merito coluit triumpho.
O ſacra multi pectora roboris!
Magni Parentis fortia Pignora!
LOIOLA quales Primipilos
Martyrio ſolet educare,
Gens quæ per ignes teláque grandior
Creſcit reſectâ ſtirpe feracior,
Ipsámque vitam mutuatur
A tumulo, ſteriliſque morte.

Vos

Vos impediti claustra refringitis
Ignota Ponti: Vos tumido mari,
Et morte sanctè pervicaces
Orbis iter superare utrumque
Ad usque seros tenditis angulos,
Mundíque fines, nil remorantium
Discrimen impendens aquarum,
Nil veriti pecus omne Nerêi,
Sævósque pisces, monstráque dentium,
Fidem per oras fertis inhospitas,
Mentes lucraturi advenarum
Pergitis ad populum irrepertum.

ODE XXXIV.

SOLATIUM AD NOBILEM D. RICQUINUM PINZIUM

Quòd Filios degeneres habeat.

MEntitum quoties agricolis solum
Sudores miserûm fallit, & invido
Se claudens gremio, præter inhospitas
Spinas, nil Cereris parit:
Autumnus sterili functus inertiâ
Facundus folijs nil habet uberis;
Nil campo segetis, nil sapidi scyphi
Exsuccâ madet arbore.

Quære

Quære ex ALCINOO; dicet, ut infrequens
Fructus continuo ſtipite pendulus
Paſſim vermiculo putridus incolâ
Promiſſam violet fidem:
Quamvis ſæpe probâ terra ſit indole,
At tam propitij non memor ingenî
Interdum in tribulos & paleas leves
Mendax degenerat ſatum.
Quid mirum egregijs ſæpe Parentibus
Progigni ſobolem moribus improbam,
Os Patri ſimilem, non animo parem,
Toto diſſimilem toro.
Non ovo vitium ſemper ineſt, malæ
Si quiddam volucris prodeat in diem.
Interdum Superi ſic fieri ſinunt;
Et Monſtris ſuus uſus eſt.
Natura in vetitum nititur, & ſuum
Fortunæ ſcelus eſt: ceſpitat ordine.
In pejus ferimur. ſæpius à via
Deflectit Patria Puer.
Hæres certus opum, non ſapientiæ
Si Natus Tibi ſit, concoque ſcrupulum:
Naturâ, ingenio ne ſimilem Tibi
In terris habeas, cupit.

ODE XXXV.

ODE XXXV.

AD DIDACUM VULTURNINUM AMICUM SUUM.

Omnia Creata (utpote transitoria) sive corpori blandientia, sive adversantia, tanquam brevis ævi, contemnenda.

SUb Sole quicquid conspicimus, breve est:
Res est theatri, quo toga scenica
Relicta mendico subinde
Ad quatuor toleratur horas,
Auróque fulget Roscius indigus;
Ludo absoluto cento resumitur.
Sic Imperator vel Monarcha
Qui fuit, exuitur coronâ,
Et vî jubetur ponere purpuram,
Cùm mors caducam barbara fabulam
Perduxit ad finem, repente
Instabiles populatur annos.
Æqualis illîc omnibus est stola:
Sunt linteati sindone pallidâ,
Indusij frusto vetusti
Impliciti subeunt sepulcrum
Dux, atque Mopsus; nil tumulo inferunt.
Finita scena est, gestáque dignitas.

Quan-

Quantóque ſceptri ventilati
Tempore perſtrepuit poteſtas?
Inter Potentes vix duo Cæſares
Triginta Ariſtis luce ſuperſtite
Tulere Laurum. præfuere
Pontifices breviore mitrà;
Nullúſque PETRO par ſtetit in Throno.
O vile lucrum temporis, & loci!
Vertiginem quiſquis favorum,
Et ſpatio volucres honores,
Pennata rerum gaudia conſulit
Fluentis ævi, ſpernit ineptias,
Ridétque pompam vix biennem,
Et titulos nive proniores.
Quicquid creatum eſt, indolis eſt brevis,
Et ludibundo mobile carbaſo.
Evanida eſt omnis voluptas,
Et celeri ſinuoſa gyro.
Idem malorum, DIDACE, ſenſus eſt.
Nôſti dolores: illico deſinunt.
Æterna non durat Podágra,
Nec reliquâ legione morbi
Suo fatigant ſæcula toxico,
Suópte ceſſant denuo limite.
Spernenda res eſt, quæ citato
Tranſvolitat fugitiva vento.
Hâc arte, durum quicquid, & aſperum eſt,
Mortale pondus concipitur leve.
Candente torreri juvenco
Exiguum eſt; citò namque tranſit
Dolor

Dolor rapaci transfuga tempore.
Hæc una fecit Regula Martyres,
Auxítque mentes, ut cruorem
Prodigerent, olidæque carnis
Artus Tyrannis, atque bipennibus
Exulcerandam porrigerent cutem:
Compendij gnari dolorum
Innocuam posuere vitam.
Sic tu novercæ Sortis inutiles
Contemne rixas; damna brevissima
Metire vix horæ quadrante;
Diffugiunt: velut unda, currunt.
Præsens flagellum sperne. volubile est.
Momenta res sunt: longiùs est nihil.
At quæ supersunt, pertimesce
Orbe alio. diuturna Styx est.

ODE XXXVI.

AD CLAUDIUM ENGOLISMUM PESSIMAE FAMAE HOMINEM, UT ANIMAE SUAE SALUTI CONSULAT.

Nihil coinquinatum in Regnum Cœlorum ingredi.

ENGOLISME, volens scandere sidera
Non centone lacer, non piceâ togâ,
Lixa-

Lixarúmve habitu Cœlicolas adi.
Non immunda humeris mantica pendeat.
Compto ſis animo! Non atomus quidem
Cœlos ingreditur, micáque criminis
Quamvis vix oculis pervia Lynceis.
Reſtat, dedecorum cenſor atrox, focus
Scintillante Rogo. quique minutias
Judex ſollicito ventilat horreo,
Irato reſidet difficilis throno,
Nec verbo, aut pretio ſupplicibus patet.
An forſan rigidi, cùm furit in reos,
Necdum experta tibi dextera Numinis?
Multis tarda venit pœna merentibus,
Nullis vana venit: quò gravior mora eſt,
Hoc claudis pedibus mulcta ſeverior.
Divis, cùm veniunt, plumea ſemita eſt,
Sed quando feriunt, plumbea dextera.
Huc uſque in Superos nemo nocentium
Arma impunè tulit: ſuccubuit ſcelus.
Hîc tempus patulis utile nundinis,
Quo famam redimas, crimina diluas.
Iſthîc nî ſapias, cum Phrygibus ſapis.

ODE XXXVII.

ODE XXXVII.

AD GERALDUM CORISÆUM PRAECLARISSIMUM JUVENEM.

Veram Laudem, & nominis immortalitatem à Virtute, ac doctrinâ exspectandam.

GERALDE egregio pulvere ſordide,
Ad veræ properas limina gloriæ,
Dum vanis alij conditionibus
Famam ſollicitant proci:
Nam plures avidæ turbo pecuniæ,
Fortunæque fames inſatiabilis
Trans Indos abigit, Matris ut advenæ
Ferro diripiant ſinum.
Per fas, pérque nefas propitijs Notis
Ad ſummos titulos, ad juga gloriæ
Eluctati alij vallibus eminent,
Ut lapſu nimio ruant.
Immenſum cupimus: nil capimus. manus
Quod lucrum retinet, mobilibus fugax
Aufert hora rotis. fabula ſunt opes,
Et Sortis leve faſcinum.
Hoc unum miſeri dicere poſſumus
Noſtrum, quod proprio nomine debitum
Nobiſcum auferimus, nec tumulum ſubit.
Mortis cætera ſunt jocus.
Virtuti

Virtuti ſatagis: plus tibi Nominis,
Splendoríſque dabit, quàm ſpolijs gravi
Extirpata dedit funditus æmula
Pellæo Juveni TYRUS.
Talem non patitur fama ſequax mori,
Obſcurúmque vetat degere ſæculum,
Qui virtute gravis funere florido
Communem foveam ſubit.
Facundos lapides Rhetoricam docet
Virtus poſt obitum; marmora Nominis
Inſtrumenta facit, laudibus inſtruit,
Ut Magnos celebrent Viros.

ODE XXXVIII.

Dubium Cœleſte S. AVGVSTINI Inter SANGVINEM CHRISTI & LAC DEIPARÆ

POSITUS IN MEDIO, QUO ME VERTAM, NESCIO.

FElix mens geminis tincta liquoribus,
Quæ CHRISTI hinc roſeo Sãguine limpida,
Illinc VIRGINEO LACTE reconditam
Geſtit ſugere crapulam.
Abſterret dubium (nam datur optio,
Et proſtat duplici rore licentia)

Quid

Quid malim, geminis excitor haustibus,
Hinc RUBRO, hinc NIVEO mero.
Si VULNUS capiam, provocor UBERE,
UBER si rapiam, VULNERE dividor.
Quis litem dirimet? callidus est amor,
Sacróque ingenio valet.
Accepi geminas ad spolium manus,
Quas natura dedit, vulnera dexterâ,
Lævâ sollicitâ prosequar ubera,
LAC cum SANGUINE colligam:
AUGUSTINUS ero SANGUINIS Helluo;
Mox BERNARDUS ero, LAC cupidissimis
Mulgebo labijs. CANDIDUS & RUBER,
Ne desit specie nihil.
Humor par pretio est, par & orexis est:
Si sacram incipio lambere Purpuram
Divini lateris, totus hirudo sum;
Sugo, sugere dum licet.
At Lactis nivei cùm patet alveus,
Evado teneris pusio fascijs,
Et, quò plus biberim, plus sitio favi
Cœli factus Hydropicus.
Cum THOMA in lateris purpureum mare
Palmis ingredior. præscia nectaris
Ad Lac regreditur lingua, sed æmuli
Urgetur stimulis scyphi.

ODE XXXIX.

ODE XXXIX.

AD EDUARDUM MANSUETUM.

Veram Libertatem in vera Conſcientiæ Pace conſiſtere.

NOn ille liber, qui, quod avet, facit
Vile ac probroſum mancipium ſui,
Qui more ſe cannæ paluſtris
Circumagit, volucríque vento
Partes in omnes fabula vertitur,
Ludóque Sortis, cêu pila vapulans,
Jam ſe favori, jam pudendo
Conſtituit ſpolium timori.
Non ille liber, qui ſinit impetus
Fracto rebelles carcere gliſcere,
Primúmque non frænans calorem
Indomito fovet igne motus,
Et perfidorum claſſica Manium.
At ille liber ſolus & unicus,
Qui fronte gaviſus ſerenâ
Et placida ditione mentis
Sui gubernat pectoris incolas,
Domíque neſcit jurgia civium,
Virtute qui fretus magiſtrâ
Bile caret, dominóque nutu
Exuberantem continet indolem,
Ne ſepe ruptâ prodeat in forum.

Qui

Qui fronte confisus severâ
Ante fremens solium NERONIS,
Aut ad tribunal Judicis impij
Tenax honesti perstiterit Viri;
Qui morte lucentes secures
Nil veritus, gladiósque strictos
Ipsis Tyrannis audeat obloqui,
Et Æacorum castra lacessere.
Huîc vera Libertas virili
Mente sedet, stabilíque linguâ:
Convulsa quem non Turbine Punico
Roma imbecillem repperit, aut facit;
Nec ipsa Carthago moratur
Hannibale insuperata sævo,
Ut veritatem dicere nesciat:
Nec ira Regum, & spiritus arrogans
Depressit unquam, audentiorem
Sed gladius, rabiésque fecit;
Quem nec Gradivi tota Potentia
Hastata ferro, nec litui movent,
Tubæque, sublatíque in auras
Nobilium fremitus equorum:
Induta centum corpora vinculis
Cuî non ligârunt verba, nec indolem
Pugnare promptam cum macello
In media Regione mortis.

ODE XXXX.

HONORUM Contemptus in SOCIET. JESU peculiari Voto ſancitus demiſſo S. FRANCISCI BORGIÆ proprijs humeris dono oblatum Aprum bajulantis facto, & Religioſo joco illuſtratur, ac confirmatur.

ABeſte Mitræ, Præmia Grandium,
Et delibuti murice pilei!
Cervice declinant modeſtâ
CANISIUS, reverénſque JAJUS,
Ne quæſtuoſum ſuſtineant Pedum.
Trilice Voto janua clauſa ſtat.
Non intrat huc turba honorum,
Nec ſinitur fabricare nidum
Iſthîc locandæ Gloria purpuræ.
Non undulato copia Pallio
Hîc ulla proſtat, ſed ſeverâ
Porta riget violenta clave.
Vis eſſe Sancti filius Ordinis,
Et vera proles? deſpice munera,
Pedúmque muta ſcipione,
Quò nuceo properans caballo
Curras per agros, oppida, jugera,
Ibíque vili nixus arundine
In lege ſacra ruſticanam
Inſtituas Catechiſta pubem.

Plus

Plus obsoletis lubrica fœcibus
Pendens culinâ mantica, plus adeps
Splendet lacernâ, quæ frequentes
Veste bibit trivialis offas,
Quàm quæ metallo fulgurat aureo,
Acúque vestis. major honoribus
Surrexit abjectis, potenti
Quàm micuit priùs in Ducatu
Satur molesto BORGIA sæculo.
Mirare claro sanguine Principem
Oblivioso gloriarum
Pectore se minimis litantem,
Et despicatis officijs Virum,
Ubi in culina videris Aulicum.
Dono ferebatur superbo
Magnus Aper, nemorúmque porcus.
Tunc janitorem BORGIUS egerat;
Cùm nemo Fratrum bajulus adfuit.
Penuriam sensit BEATUS,
Et lepidi repetens amoris
(Uti solebat sæpius) indolem,
Quod imbecillâ non poterat manu,
Joco peregit Charitatis,
Inque humeros senio labantes
Onus ferini sustulit hospitis.
Hispana servans pondera gressuum
Pergens per ædes, liberalem
Omnibus exhibuit saginam:
Rostrata sursum prominuit mitra
Patente rictu. BORGIA riserat.

Sic ire gaudens infulatus
Ferre dein cupiet Tiaras
Nulla futurus Præsul in Infula,
Nec veſtiendus divite Murice
Pridem colorata abdicavit
Paſlia, Sidonios galeros
Dux Aulicarum ſpretor imaginum;
Plus ille lætis ſordibus emicans,
Quàm nuper inter GOTTALANOS
Vindicibus domitos triumphis
Cinctus frequenti Marte ſatellitum
Prorex coruſcâ cyclade ſplenduit:
Plus ille Virtutis decôre,
Quàm geminâ nituit coronâ.

ODE XXXXI.

ENTHUSIASMUS AUCTORIS.

Cùm miſeram Regum Fortunam è Solio præcipitum conſideràſſet.

QUiſquis ſuperbâ Sceptra rotas manu,
Thronóque fulgens tetrica triſtibus
Regum Paludamenta curis
Ex humeris, dominóque tergo
Suſpendis amplis turgida fluctibus,
Memento verſam turbinis aleam,

Regúm-

Regúmque mortes, perduellis
Ludibrio variante Sortis.
Quem delicato prociduum ſinu
Fortuna Pullum fovit eburnea,
Repente plumis deſtitutum
Præcipitem dedit in cloacam.
Teſtata res eſt. præcipui jacent
Orbis Coloſſi: Qui Babylonias
Extruxit arces, inſoleſcens
Prodigio NABONASSOR Urbis
Ejectus Aulâ eſt, ut pecorum vorax
Conviva, terræ gramina roderet,
Fœnóque, Sortis comparatos
Antè, nocens lueret favores:
Habet Superbus, quod meruit, flagrum:
Palatiorum conditor exulat,
Mugítque ſeptenni in juvenco
Aſſyriæ dominator aulæ.
Sic ſpongiarum propoſito flagrans,
Et eruditæ Rex cupiens Lyræ
Suadente luctu, nauſeatâ
Se GILIMER ſatians farinâ,
Sceptróque nudus tranſijt in jocum
Statûs acerbi, quem metuat Thronus,
Et quisquis alto conſtitutus
In ſolio ſatagit Coronis,
Ac proferendis Imperijs ſtudet.
Sic BAJASETES in cavea latens,
Fortunæ Abortus, fraudulentæ
Incidit in furias Novercæ,

Ut abdicato Principe ſerperet
Regalis Irus. Sic tumidus SAPOR,
Sic CAROLUS CALVUS potenti
Præcipites cecidere Regno:
Ita è STUARTO Sanguine CAROLUS
(Ætate noſtrâ Regibus invidâ)
Fatale conſcendens theatrum
Colla dedit ferienda Scurræ
Frendente Mundo judice, publicâ
Ictus ſecuri. fidite Principes
Cryſtallinæ felicitati!
Sed moneo: dolus eſt acerbus
Sortis jocoſæ proſperitas fugax.
Plerique ludi in fine Tragœdiæ,
Qui Comicis læti ſtrepente
Principiô placuere ſoccis.
Si quem ſonoris plauſibus imbuit,
Aut invidendo Sors poſuit loco,
Vitet tumorem, nec triumphet
Ludibrio popularis auræ;
Fortuna blandâ eſt nota tyrannide,
Infamis Euris dulcè furentibus;
Jam tollit in ſublime Pullos,
Mox humili tumulat palude.
Ventoſa Sors eſt, cêu pila miſſilis
Intus coacto quæ levis Æolo
Suſpenſa jam fertur per auras,
Mox recidit graviore bombo.
Fortuna CROESUM prodidit aurea
Venale centum ſupplicijs caput.

Qui

Qui bella Cœlo machinatur
Sacrilegus, ſubitô jacebit
Humatus Orco. præijt ad Stygem
Dux perfidorum LUCIFER Ordinum.
Impunè nemo gloriatus
Eſt Superis ſibi ſubjugatis.
Ergo Monarchæ credite, ſi lubet,
Rebus ſecundis, fidite lubricis!
Vocamini forſan SERENI
A vitreo, dubióque Cœlo,
Cuî nunquam eâdem fronte nitet color,
Sed infideli eſt cæruleum typo,
Et nubibus torvum repente
Mille trahit nebulas vaporum.
Spes temperatas diligit Arbiter
Rerum Supremus, promovet infima:
Ipſo Magiſtro, ſidit omnis
In cumulum, tumulúmque Faſtus.

ODE XXXXII.

Laurum non niſi docto, aut militari capiti convenire, magniſque laboribus ritè obtineri.

VErticis docti diadema LAURUS
Non viret quovis nemoris vepreto
Inter urticas, vel inauſpicato
Semine lappas;

Non pigro creſcit gremio novercæ,
Nec ſolo terræ malè feriatæ,
Sed flagellatos amat alta ſævo
Turbine montes:
Grandines inter, nimiáſque tabi
Germinat pugnas: volet irrigari
Non aquâ dulci, ſed inebriante
Sanguinis imbre:
Ferreo campo generoſa ſurgit
Planta, non ſicco, ſteriliſque fundo:
MARS parens illi eſt, genitrix MINERVA
Ægide cincta:
Inter armatos gladios, & haſtas
Elaborato metitur corymbo
Nobilis LAURUS, celebríque vænit
Gloria Circo.
CÆSARES olim reduces ab armis
Hâc coronatam retulere frontem.
Non niſi aſſertâ Patriâ licebat
Flectere ſerta:
Hæc (cicatricum generoſa merces)
Ore diſcerpto reſidet Corona
Hoſtium victrix: amat illa ſciſſi
Rudera vultûs:
Non comas ſiccas, olidáſve Moſco
Circuit LAURUS, ſed amat cruore
Roſcidas frontes; ſed & erudita
Tempora lambit.
Curiæ nôrunt, quid amica Virtus
Nupta doctrinæ Regione poſſit

Inte-

Integrâ, quantum valeat Sophorum
Aulica LAURUS.

ODE XXXXIII.

Homines fortunâ semel gustatâ, si corpore valeant, nunquam conquiescere.

SOLATIUM AD INFIRMOS.

O quàm difficile est ponere terminum
Votis, quæ temerè, quod poterunt, volunt,
Sempérque ulteriùs tendere fervida
Ignorant resipiscere:
Nam, quacunque datur janua, proruunt
Spem, virésque supra: vertice sæpius
Impingunt solidè, quando reverberat
Eventus vacuus procos.
Gustatus digitus Sortis amabilis
Post se dote trahit continuâ manum.
Contenti modicis non sumus. omnia
Ambimus cupidâ siti.
Nî desit vegeto corpore sanitas,
Quæ nos contineat, vela citissima
Fortunæ sinimus plena facillimo
Impallescere spiritu:
Spebus provehimur, sed stolidissimis,
Et MUNDOS geminos credimus, ut globum

Possimus dupliccm velle. rapacium O
Vis interrita pectorum!
Inventa est Mulier dicere pervicax:
Se Matrem perimat Natus, ut in throno
Per cædem hanc sedeat lictor, & imperet.
Quid sceptrum valeat, liquet.
Felices reputo, qui valetudinem
Captivi Superum non satis integram
Nacti, continuo se retinent toro,
Nec segni lare prodeunt.
Quæ Virtus melior, quàm Patientia?
Hæc una illecebris altior omnibus
Infra se rapidis omnia casibus
Misceri tragico videt
Inconcussa joco dissimilis Deæ,
Et gavisa domi pace facillimâ
Nescit, quid faciant arma Quiritium,
Et Regum tuba Martia.
Non, qui demetitur Mundus acinace,
Et rixis emitur futile punctulum,
Illi suspicitur, qui querulo malis
Æger murmurat in toro.
Ut quidquam accipiat, Chiragra non sinit,
Quæ tendit tremulas supplicio manus;
Ne possit pedibus quærere, quod cupit,
Obsistit Podagræ rigor.

ODE XXXXIV.

ODE XXXXIV.

Affectatus quorundam hodiernus PERORANDI modus, phrasis, & dictio nihil ad conversionem animorum, multum ad ostentationem faciens Vanitatis arguitur.

PRodesse gestis flumine Rhetorum,
Hamóque sacro saucia pectora
Ardente piscari cathédrâ:
Serica fundere parce verba.
Effeminato non viridario,
Nec curiosis est phaleris locus.
Hîc fulgurandum, fulminandum est
In spurios levitate mores.
Poscunt CATONEM monstra libidinum,
Mundíque sordes, ut malè nubiles
Passim ingravescentes amores
Ancipiti resecentur ense:
Sævâ exacutam cote novaculam
Mores requirunt. carpite, vellite,
Quotquot peroratis per Urbes,
Indomitos Veneris calores.
Experta res est: qui semel inquinant
Se labe, rarò sordibus enatant,
Ecclesiastes nî severus,
Præstet opem, luteúmque crimen

Colore vivo fontibus exprimat,
Et cor ſagittâ triplice perforet.
Nil blanda prodeſt hic oliva,
Ut cupido medeatur ævo.
Non literatis Pavo coloribus,
Aut tranſmarinâ Pſittacus Iride,
Pictíque luxu penicilli
Advena pro cathedra loquatur.
Adulterari neſcia Veritas
Pigmenta ſpernit, verbáque Comica,
Eviſcerato nata fundo
Fictilium ſimulacra florum.
Ornata molli femina corpore,
Et ore compto non ſinitur loqui
Patente templo, ſed virile
Eloquium ſolidâ medullâ
Ad culmen illud poſcitur. inclytûm
Opus Virorum eſt. femina muta ſit:
Exorſa filum concionis
Non faceret queribunda finem.
Nil lubricarum proficit ad ſcopum
Sententiarum mobilis artifex.
Quid fimbriatis otioſus
Efficiat CICERO parergis?
Succum faceti decoquit ingenî,
Inſtárque Arachnes viſcera prodigit
Telæ laborator caducæ,
Ut geminas redigat, vel unam
In rete muſcam. floridus hiſtrio
Nunquam movebit. diſplicet, & placet:
Arto-

Artocreatis ſe loquelis
Proſtituit, colitúrque riſu.
Totus peracto dramate plauſus eſt:
Dixiſſe compto gutture ROSCIUM.
Nil inde mores mutuati
Conſilij, remanent priores.
Sincera contra lux idiomate
Puráque linguâ prodita fulgurat,
Mentéſque Diti fœderatas
E medijs revocat tenébris.
Illuſtris odit ſchemata Veritas
Exoſa fucum. Tollite diſparem
Veſtem profani nugivendi!
Non varios amat illa vultus.

ODE XXXXV.

Solitaria Antiquorum Eremi PATRVM Vita præ turbis ſæculi commendatur.

ANTONIORUM ſacra mapalia,
Laréſque PATRUM (queîs reverentiam
Suâpte rupis ſanctitate
Neſcio, quis pius afflat horror)
Canenda ſumam. ſplendidius nihil
In Orbe ſacris conſpicitur caſis,
Quamvis paluſtri ſint coactæ
Vimine, litoreíſque cannis:

Non,

Non, quod ſuperbis turribus exilit,
Auróque multo, & marmore lubricum
Palatium CYRI potentis
Invidiam moveat cavernis:
Certare ceſſent limina Principum
Adulta pinnis, & laquearia
Sudore comportata multo:
Non humiles ſuperant Penates.
His commorari, non alijs, volet
DEUS theatris: hos amat angulos,
Implétque majeſtate ſacras
Incola magnificus tabernas.
O quàm ſuàvi Numine veſcitur
Hîc CASSIANUS, dum precibus vacat,
Cœlúmque Stellis ſeminatum
Mente, oculis, animóque luſtrat?
Nil blandiente hîc dulcius intimis
Semel recepto viſceribus DEO eſt.
Fragrante ſylvâ Vere primo,
Vita ſimul pietate fragrat.
His cura tectis exulat, & ſopor
DEO dicatus leniùs influit,
Duránſque vix horis quaternis
Rurſus abit, precibúſque cedit
Jam conſtitutum fœdere terminum,
Elacrymatâ paupere clepſydrâ.
Hîc nulla de belli cruore,
Militibus, Ducibúſque mens eſt,
Timórque nullus, tortor inertium.
Neſcitur iſthîc, quid Proceres agant,

Orbíſ-

Orbísque peccet; quid Tyranni,
(Sanguineum genus) æmulentur;
Aut quid Coronis, quid diadematis,
Sceptrísque fiat: quis populos regat,
Quis Imperator, quæ Imperatrix,
Quis Comes, aut Baro, quísve Civis.
Quiete summâ transigitur status
Extra tumultus sollicitudinum.
Non sylva vagit, non querelis
Conjugij latebræ resultant.
Cavata vili rupe domuncula
Sacras Colono sufficit ad preces,
Natúmque de petra cubile
In modicum sinuatur arcum,
Ut oscitanti serviat incolæ,
Somnúmque portet. cætera pumice
Sculpuntur arcto. vix novenis
Crypta patet satis ampla palmis:
Anfractus illi curvus, & horridus,
Scabróque scissus fornice Circulus.
Levamen ardenti calori
Ædificat tenebrosa cautes,
Quà Palma nutrix brachia porrigit,
Umbræque præstans hospitio Canis
Attemperat sævi latratum
Æthereum, calidósque ructus.
Regalis hæc est summa Palatij:
Totius Aulæ cultus Eremus est;
Satellites, grex bestiarum,
Rex sibi, & omnia CASSIANUS.

Non

Non Porta ſervis, aut famulis ſtrepit,
Non inquieto proteritur pede,
Non clauſa, non munita ferro,
Non vigili reſonat Moloſſo:
Ancilla felis ſæpius unica
Cuſtodiendo ſufficit atrio,
Impunè ne mures voraces
Finitimo dominentur agro.
Juxta benignus conſitus hortulus
Clemente terrâ, Vere parabili
Herbas ſalutares famenti
Porrigit, & viridi culinâ
Incompta menſæ gramina ſuggerit.
Non illi acetum, non oleum madet.
Radicibus ſtat mappa nudis,
Et modico ſitis ex aquale.
Venæ pudicæ murmurat undula,
Canale parco mitigat aridum
Fons ſobriè linctus palatum.
Aſt reliquas bibit hortus undas:
Fons ille puro ſubſiliens vitro
Dulci propagat pocula Nereo,
Fundóque manſuetus ſereno,
Pacifico trepidante ſucco,
Lactat maritas cominus arbores
Scypho propinquas, & viridi ſedens
Tapete riparum jocoſos,
Piſciculos alit, inquilinos.
Totius hæc eſt Regula prandij,
Simúlque cœnæ furfur, & allia.

Feſtis

Feſtis diebus panis atri
Adijcitur lapidoſa cruſta,
Quam CÆSAR olim cùm THEODOSIUS
Venationis tempore devius
Guſtâſſet in cella, ſaporem
Attonitâ celebrans orexi
Vel inter ipſas delicias gulæ
Ediſſe, dixit, ſe melius nihil.
Tam lauta cœleſtis culina eſt,
Principe non redimenda luxu.
Non certet illi Regia copia
Tot delicatis prodiga ferculis,
Non luxus ASSUERI potentis,
Nec ſpuriâ Meretricis arte
Excogitatus Sardonychis ſapor
Tormento aceti, baccáque gemmea
Abortiens ſalſo liquore
Stet ſapidâ dape comparanda,
Quâ condiuntur ſacra mapalia.
Abeſte odores, Orbis aromata,
Mundíque pingues Helluones!
Lautior eſt macies Eremi.

ODE XXXXVI.

ODE XXXXVI.

Iræ, odiique Humani Crudelitas tragicis antehàc facinoribus exercita Tyrannidis postulatur, & cum GRANATO, ut vocant, GLOBO comparatur.

O quàm dolosis litibus undique,
Iisque rectis pectora dissident!
Urbanitatis fraudulento
Officio simulatur iræ
Imis repôstum visceribus malum.
Latétque rancor, cêu pyrio globo
(Qui Marte cæco pestilentem
Fert uterum, tacitásque flammas)
Conclusa vivunt dira tonitrua:
Dum feriato glans recubat solo,
Tantisper occultat furores,
Et tragicâ feritate partum.
Repente moles ferrea dissilit
Partes in omnes, sævus ubi suas
Mitit favillas in capacem
Materiam dominatus ardor:
Tum dissipatis ignea tormina
Soluta claustris aëre perstrepunt;
Siphone quando glans aheno
Exilijt furibunda flammis

Statim

Statim propinquo fulmine mœnia
Invadit ignis mole graviſſimâ.
Aléſque plumbum pervagatur
Flexilibus rapidum meandris.
Paſſim ruinæ, quas pyrijs draco
Fartus venenis turribus invehit
Ubique clades Civitatum,
Et necibus ſaturata grando,
Feſsúſque centum funeribus chalybs.
Paſſim tonantes ſulphure machinæ,
Tubíque grandes ære fuſi
Igne volant agiles aprico.
Sic coĉta longis ira latens fibris
Erumpit arĉto denique carcere.
Potita libertate frœni
Quà data porta, nocet furendo:
Modeſta primùm flamma reconditum
Premit dolorem; naĉta licentiam
Exorbitandi, ſerpit audax,
Et medias populatur Urbes
Deliberatis barbara ſtragibus:
Trux aucupari commoda tempora
Larvata bilis, captioſo
Circuitu, tacitóque reti
Venatur hoſtem, quem laqueis ſemel
Tentum feroci perſequitur ſtylo.
Sic integræ ſtirpes frequenter
Intereunt avido macello:
Sic GWELFFIORUM perdita factio eſt:
Sic GIBELINIS funere mutuo
Rixis

Rixis parentatum cruentis
Nobilium exequijs Virorum.
Neſcit quietem turbidus impetus,
Furórque gliſcens, ſed (velut igneus
In fruſta diſcerptus ducenta
Se globus exonerat fragore
Sparſis per omnes cædibus angulos)
Sic ille ceras ſæpius integras,
Totáſque gentes occupato
Sorbuit indocilis theatro.
Fatale multis (ſic equidem lego)
Fuit, vel ipſum per patulas domûs
Caput feneſtras extuliſſe,
Compoſito inſidiante ſclopo:
Imbuta diris prandia viperis,
Coctâmque mortem crimine condijt.
Internecinus ſæpe livor,
Qui furijs agitatus atris
Plures Averno vendidit hoſtias,
Miſitq; ad Orcum. Plus homo, quàm canis
Pati jubetur ſub Tyranno.
Haud adeò pretioſa vita eſt,
Quæ parta CHRISTI Sanguine conſtitit,
Quàm beſtiarum vilia corpora.
Intelligentem, quàm ferinum
Prodigimus citiùs cruorem.

ODE XXXXVII.

ODE XXXXVII.

Converſationem noſtram in Cœlis eſſe oportere, more florum repando calice Aſtra intuentium.

POſt brumæ ſenium, cùm liquido vitro
Redduntur fluvij, nec glacialibus
Vinctus compedibus Rhenus inambulat
Illimi ſpeculo fluens,
Comptæ cæruleâ veſte modeſtiæ
Reginæ Violæ, dum patulis bibunt
Titanem folijs, Vere tenerrimo
Cœleſtem ſapiunt ſtatum;
Sugunt virgineum ex æthere ſpiritum,
Et conſanguineis Aſtra coloribus
Implantant generi, nobilibus ſibi
Jungunt Sidera vinculis.
Cœleſtis Patriæ ſic memor indoles
Tranſcendens humiles vallibus infimis
Terrarum cumulos, rudera ſtet ſuper
Confracti pedibus globi.
Aprico cyatho florida Lilia
Cœlo propitio faucibus imminent:
Exemplo præeunt, ut mea nil, niſi
Cœlum, labra recenſeant.
Cœli delicias, atque palatia
Poſthàc ore canam; cùm faciant ſuis
Id ſyl-

Id ſylvæ folijs lenè patentibus,
Cêu linguis totidem ſequar.
Fandi materiam, terrea quæ ſapit
Ornamenta, procul finibus exigam.
Dentatáque molâ vocibus obvius
Conſtringam caveâ ſonum.
Ut corvi juvenes, cùm pater & parens
Illos deſtituunt, ſupplice gutture
Cœlum ſollicitant, nec ſinitur mori
Implumis ſoboles fame;
Sic ſolis pateant Sideribus labra:
Mendicíque velut limina Principum,
Magnatúmque lares fletibus obſident,
Ut pinguem referant ſtipem;
Sic nos ante fores (cêu genus indigum)
Strati, ſollicitis atria Cœlitum
Carpemus precibus. nec requiem DEO,
Donec ſe mihi det, dabo:
Importunus ero. quis prohibet Codros,
Ut non ſint queruli, ſi jubeat fames?
Quis me cærulei fornicis exulem
Optato ſpoliat lare?
O ingens ſpatium ſidereæ domûs!
Te ſi cum gemitu vel procul intuar,
Pectus non ſolitis æſtuat ignibus,
Et ſpe cor gravidum ſalit.
Sordet terrigenûm gratia corporum,
Et Mundi putridum deſpicio fimum.
Stellas ingemino. Sidera provoco.
Patronas repeto faces:
O læti

O læti vigiles Excubiæ Poli
Lunam pollicitæ Virgineam ſequi,
Et pulchrum radijs lambere Cynthium,
Divinæ ſoboles manûs!
Diſpunctum niveâ luce Palatium
Me ſolum recreat. nil mihi cum ſolo,
Ac gleba ſterili. nidus hirundinum
Terra eſt, è lutea ſtrue.
O quando veniet nobilis horula!
Cur quadrans nimiùm ſegnis es ultime!
O dulcis nimiùm patria abes procul!
O mors! o bona mors veni!

ODE XXXXVIII.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM DE VICTORIA DICTAM.

De Navali Victoria ad NAVPACTVM.

VIRGO, quâ nil eſt melius vel ipſos
Angelos inter, nihil inter Aſtra
Pulchrius lucet, nihil in marinis
Caſtius undis.
TU MARIS STELLA es, tituloq; gaudes
Hoc frequentari. maris indigemus
Proſpe-

Prosperis undis, famulísque ventis.
Turbo minatur:
Nam vides passim mare prægravari
Mobili sylvâ; natat Urbis instar,
Jam CYPRO captâ, sinuosa velis
Turcica classis.
Imminet Regnis latro Christianis:
TU nisi immensam MARIS IMPERATRIX
Viribus tantis stiteris procellam,
ROMA peribit.
Audijt VIRGO, nisi fallor, Urbis
Supplicem PETRAM. geminus paratâ
Classe concurrit populus. MARIA
Archithalassa est.
Ut Noti spondent, mare Christianis
Æolo fausto patulum favebit;
Vela complebit Zephyrus patrono
Gutture spirans.
Dormiens æquor jacuit propinquæ
Serviens pugnæ, neque concitato
Adjacens Ponto furias CORINTHUS
Senserat ullas:
Cærulas Lymphas mare temperatum
Pace mulcebat. liquor immodestus
Antehàc, nullo cava verberabat
Litora fluctu:
Cùm repentino strepitu volantum
Navium vastus numerus rebelli
Affluens pompâ speciem cruentæ
Præbuit iræ.

Nec

Nec mora. ingenti (Zephyro adjuvante)
Bina collisa est statione classis:
Æneâ laté resonante morte,
Turcica cessit.

Ignis exarsit pice roboratus
Aridis gliscens tabulis. cremati
Flammeo nautæ ratium camino
Præda fuere.

Fax in accensis spatiata velis
Stridulo flatu procul inquietam
Circinans flammam rapuit voraci
Omnia luce:

Martio pergunt tonitru boare
Fistulæ belli. petulans metallum,
Cêu, quod elisæ peperere nubes
Fulmen, oberrat.

Post rogum victor gladius nocentes
Persequi cœpit. Mare fœderatum
Munus implevit, quod erat, rebelles
Mergere Turcas.

Ære conductus Zephyrus MARIÆ
Obsequens flabat, dominósque nutus
Annotans aurâ memori, capessens
Jussa furebat.

Tunc truci vultu stetit, atque glaucos
NEREUS torsit fremebundus orbes;
Mox caput intrò revocans, propinquâ
Substitit algâ;

Rursus exurgens, facie marinâ
Exacerbatus, saniem cruentâ

Conſpicans ſpumâ, meliore parte
Favit & ipſe:
Turcicas ergo quatiens carinas,
Ora diducens barathri marini
Sorbuit claſſem, vomuítque totis
Funera ripis:
Ebriæ naves ineunte Ponto
Per fatiſcentes tabulas, profundo
Amne ſubſidunt, malè diſſolutis
Fragmina coſtis.
Sola nil, expers operæ, trophæis
Contulit Tellus, niſi quòd natatu
Proximos ripis prohibens, amicâ
Reppulit orâ,
Quos ſuo falſos ſtudio cachinnans
NEREUS petris, ſcopulíſque fractos
Merſit eliſo cerebro profundo
Gurgitis Iſthmo.
Sic triumphatum eſt nece copioſâ.
Turcicam vicit Sacra LUNA Lunam:
Non enim fruſtra pedibus MARIÆ
Subdita LUNA eſt.

ODE XXXXIX.

ODE XXXXIX.

AD FRIDOLINUM MILVIUM AMICUM SUUM.

Cùm se à Blandis Literis, & Pöësi ad severiores & spinosas Scientias transtulisset.

INverecundâ Venere ustulatos
Legimus quosdam subijsse spinas,
Et propinato vepribus dolore
Membra dedisse,
Ut cruentato laceri jacerent
Corporis sensu pietate tuti,
Nec venenatos paterentur atræ
Cypridis ignes.
Nescio, MILVI, Veneris quid insit
Literis blandis. ego gratiosas
Diligo Musas: nihil est in illis
Flagitiosum,
Virgines omnes: mihi nulla spinis
Visa puniri, fugienda nulla.
Opto tentari Cytharâ, & jocosâ
Indole plectri:
Quas ego nôvi, facie pudicâ,
Et columbinâ probitate nôvi
Integras omnes, niveásque totas
Virgine Lauro:

Nulla ſuſpecta eſt, quaſi non modeſta.
At tibi molles nimiùm videntur,
Atque pellacis genij ſuòpte
Artis amore.
An metrum peccat tibi Caſtitate,
Ut, ceü mæcham, fugias Minervam
Labe ſinceram, licet innocenti
Pectine ludat,
Nilque laſcivum canat, aut petulcum?
Cur adis ſpinas malè delicatas,
Ut ſtylum volvas ſterili vepreto
Saucius hamis?
Num Roſis blando vegetis pudore
Præferes dumum? potiórne Florâ
Eſt tibi Rhamnus, rigidíſque pungens
Carduus haſtis?
Fortè præpones violis avenam,
Aut flagellatas paleas Liguſtris,
Lilijs fœnum, nitidíſque Calthis
Sciſſile ſtramen.
An Virum, cenſes, metra dedecere?
Abſit hoc probrum! præiere plures
Jam Cycni, canâ radiante barbâ,
Divite venâ,
Qui verecundas coluere Muſas
Ultimis annis nive jam ſenili,
Nec laceſſiti ſemel arte dulci,
Succubuere.
Ergo nil cauſæ eſt, Studioſe MILVI,
Quòd coronandus propè jam ſupremâ
Laureâ

Laureâ Vatum procul à propinqua
Fronde recedas.
Musa Te luget, Caput eruditum,
Transfugam pullum: nec enim Stagyra
Te sibi magnâ stipe postulavit
Sponte volentem.
Spero festinum reditum, vel opto.
Hispido postquam tibi senticeto
Carpseris dextram, meliora demum
Prata revises:
Ad coloratos remigrabis hortos
Floridis rursus fruiturus annis.
Tum virescentem tibi Musa plectet
Provida Laurum.

ODE L.

AD CUTHBERTUM GLIZORINUM À RELIGIONE, AC FIDE APOSTATAM.

Cœlestem illi pœnam intentat, ac præsens DEI flagellum, ni maturè resipiscat.

GLIZORINE, cruces promeritũ caput,
Candentésque pigro sulphure forcipes,
Qui ruptam Superis Fidem
Cœpto transfugio foves

Turcis deterior, queîs ſacra fœdera
Nexu ſtare ſolent inviolabili:
Falſa hos Relligio vetat,
Ut ſint Perfidiæ rei.
Non tantùm latebras, & rata triplice
Voto clauſtra fugis, ſed ſtolidam dolis
Ipſam contrahis Hæreſin,
Fœtam nequitijs Hydram.
Si quis ſacrilegus de ſocijs tibi
Rupiſſet ſolidæ fœdera dexteræ,
Jurati digito Vadis
Crimen Judice plecteres.
Quid de te Superi conſtituant, cave,
Nî miſsâ remorâ polliciti memor,
Quem mens provida ſanxerat,
Inſtaures reditu ſtatum.
Scis, quàm grande DEUM fallere, ſit ſcelus,
Nec Lictore caret. plena periculo
Res eſt, Aſtra laceſſere.
Non impunè receditur.
Non ſervare decet Sacrilegis fidem.
Fallaces Superûm deſtituit favor.
Aut Vota impiger expleas,
Aut prorſus voveas nihil.
Tutò nullus adhuc transfuga floruit.
Conſumpſit Nemeſis, ſera licet, Reos.
Sic Lurco ISLEBIUS ſuam
Orco perfidiam luit:
Is, quamvis ſolidos Dæmone fregerit
Convivante dies Hircus amans ſalis,

Quam-

Quamvis crimina crimine
Immensùm auxerit Helluo,
Capræ ſacrilegæ ſacrilegus Caper
Elapſis madidis nectare Solibus,
Paulò poſt animam putrem
Accenſam exſpuit in Stygem.

ODE LI.

S. FRANCISCVS BORGIA Calvariam ISABELLÆ oſtendit Mundi, Formæque Amatoribus.

SPectate, quotquot bullit in abditis
Venus medullis, & quibus hoc caput,
Ac vultus in vivis placebat
(Prodigium ſpeculi) ISABELLA.
Ubi lacerti per vacuos ſpecus
Intrant ad eſcam, lucida ſidera
Cryſtallinis nuper ſtetere
Orbibus, ingenuíſque Stellis:
Ubi micabant torquibus aureis
Fulvæ catenæ, flexibus æmulis
Errant colúbri, lautiorem
Ingluviem ſibi gratulati:
Non ISABELLAM credito, quam vides:
Vides MEDUSAM, quam rabidiſſimæ

Cingunt lacertorum coronæ,
Atque vagis redimîtur Hydris;
Illa ipſa nuper tam cupidè procis
Spectata formæ purpura cereo
Expalluit buxo; decorus
In cineres reſolutus ignis:
Frons illa vibrans, illa cupidinis
Formoſa ſedes, atque jocantium
Vivax theatrum gratiarum,
Delicium muliebris Orbis
Buſonis antrum eſt: illa volubilis
Criſpata ferro ſollicito coma
Vivos in angues efferata
Dedidicit laqueos amoris:
Nil ISABELLÆ, nil ſupereſt Deæ,
Non Imperatrix florida. putruit,
Quæ nuper incruſtata gypſo
Sidonio, Tyrióque fuco,
Et purpuriſſo lubrica ſplenduit,
Prædam ſepulcro vermibus intulit
Regale corpus: quæ potenti
Præfuit imperioſa ſceptro,
Ceſſit ligoni. jam ſanie fragrat,
Quæ delicatis nuper aromatis:
Quæ ſumptuoſis tincta ſuccis,
Jam liquido lutulenta pure eſt.
Adeſte. Magno credite BORGIÆ,
Et, quas amâſtis, cernite fabulas,
Putredinis ſaccum, cloacam
Inſtabili nive delibutam.

ODE LII.

ODE LII.

Genium Temporis, ac maximè Veris, Hortos, ac Prata virentia familiare Dæmonis Instrumentum esse ad seducendos innocentes animos.

VEre lascivo viridantis anni
Utitur Dæmon, scelerúmque lætos
Quærit anfractus. genio salace
Quando jocosus
Sanguis effervet, calidúsque venis
Succus exultat, veluti recentis
Inquies vini, facilis paratur
Ansà cadendi.
Quando lactescunt, niveisque rident
Lilijs malæ, volucrésque mimæ
Construunt nidos, resonante puro
Aëre cantu:
Arbores quando folijs disertæ
Melle pubescunt, Platanúsque vernæ
Nubilis Palmæ sua cum sorore
Ligna maritat:
Quando apis solers olerum magistra
Consulens rostro genus omne florum
Advehit messes, animámque libat
Virginis auræ:
Lubrico quando profugi fluento
Murmurant rivi, vitreúsque blando

Litus allatrat vomitu ſuſurro
Garrulus amnis,
Tentat in campis Juvenes, in hortis
Orcus aſtutus niveum pudorem
Provocat ſenſu tenero virentes
Inter amores.
Non voluptates alibi profanæ
Fortiùs ſpirant, niſi quando pratis
Frondeos inter thalamos benignis
Floribus halant.
Inclytum teſtor Juvenem NICETAM,
Qui capillato reſupinus horto
In toro molli poſitus, jocante
Chloride circùm,
Paſſus eſt blandas Veneris favillas,
Et verecundam ſibi dente linguam
Ipſe præcidens in Hydram cruentam
Exſpuit offam.
O quot apricis juvenes in hortis
Innubam probris aluere vitam,
Et voluptatis viridi theatro
Succubuere!

ODE LIII.

ODE LIII.

Mala novatæ Fidei, ac Sectæ per GERMANIAM, & præcipuè sublata omnis per eam fidelitas expenduntur, ad imitationem Horatianæ Odæ VI. Lib. III.

PEriculosâ res agitur Fide,
Fictóque vultu. candor eburneus,
Nivésque morum colliquatæ
A pluvio periere Sole.
Quàm luctuosis limpida Teutonum
Turbata sensim est Natio jurgijs?
Luctata passim cum Gradivo
Purpureis sata stat Tyrannis:
Non est fidelis, pectore vitreo
Gavisa nuper. diffugiunt cadis
Cum fœce siccatis amici,
Ferre jugum famuli dolosi:
Et nunc minaci murmure cornuum
Perstringit aures scriptio militum:
Occursus armorum fugaces
Terret equos, equitúmque vultus.
Plena ungularum quadrupedantium
Calcantur arva, & bellicus undique
Crebrescit hinnitus frementum
Cornipedum, gemitus tubarum.

Non ſi ducentis eloquar oribus,
Inflicta nobis damna recenſeam,
Et plura terrarum ſubacta
Hæreſibus generoſa Regna.
Eheu! cicatricum, & ſcelerum pudet,
Fratrúmque! num quid cædis omiſimus,
Aut Marte ſincerum nefaſti
Liquimus? unde manus juventus
Timore Cœli continuit? quibus
Pepercit aris, divitijs quibus
Grex conſecratis? in dicatas
Dedecus intulimus Tiaras.
Ætatis eheu degeneris piget,
Tædétque! inauſum nil rabies mala,
Nil uſpiam totum reliquit,
Sed medium laceravit Orbem.
Quis non profuſo ſanguine Barbarus
Campus ſepulcris impia prælia
Teſtatur, auditúmque Turcis,
Teutonicæ ſonitum ruinæ.
Quis gurges? aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Teutonum
Non decoloravere cædes?
Sanguine quæ caret ora ſacro?
Quis probra ſævis cenſeat omnia
Illata damnis? quis tumulus ſuo
Vacat Colono? quot peremptis
Corporibus putruere campi?
Quæ forma templis? quæ facies crucum?
Diſcerpta paſſim claſſis imaginum,
Et ſigna

Et ſigna ferro diſſipata,
Fœda olidis ſimulacra ſputis:
Sacris replentur limina cædibus,
Natántque multo ſtrata cadavere:
Sacrarium Cœlo dicatum
Hinnit equis, ululántque lixæ
In conſecratis ædibus, & dapum
Ibi popinas ædificat gula:
Bacchi ſacerdos helluatur
In media ditione CHRISTI.
Quis è metallo pocula nobili,
Et ære fulvos quis rapuit ſcyphos?
Templiſque direptis, quis auro
Dixit atrox latro: VADE MECUM?
Huc peſtis ortus, huc refer exitus,
Et damna in unam Teutonis Hæreſin.
Incentor unus tam potentes
Transfuga ſollicitavit iras.
Hinc damna gliſcunt proficientibus
Acerba pœnis. ſeditionibus
Quantùm propinquis imminuta eſt
Natio, Teutoniæque vires
In fœderatum vix ſociabiles
Dein Amorem, pactáque mutua.
O! priſtinorum quis recudet
Sæcula concilianda fratrum?
Dum nos Lyæo ſæpius ebrij
Bellamus urnis, atque capacibus
Vino lagenis prælíamur
Ante fores operitur hoſtis.

Quis

Quis auſpicatos Portæ Othomannicæ
Ignorat enſes, Turcica prælia?
Is claſſe formidatus hoſtis,
Æquor habet, ſubigítque terram,
Rixíſque noſtris, atque domeſticis
Dum vellicamur ſeditionibus,
Auget Monarchiam ſeveri
Jure ſtyli, capulóque fretam.
Fœcunda culpæ ſæcula! nuptias
Primùm inquinavit Cypris adultera,
Et clauſtra Votis illigata
Proſtituit, reſeranda mæchis;
Dein avaris unguibus omnia
Harpyia Mundi ſuſtulit Hæreſis
Sagax odorari repôſtum
In tacitis loculis metallum,
Aggreſſa Divûm vî patrimonium,
Gazáſque Templi, quod potuit, tulit.
Hoc fonte derivata clades
In Patriam, populúmque fluxit:
Mox, ſumptuoſo pompa teruncio
Succeſſit, ingens prædo pecul ij,
Luxúſque vitæ diſſolutæ
Dedecorum pretioſus emptor.
Offenſa tantis Aſtra furoribus,
Luxere torvis nubila ſyrmatis,
Miſere pro pœna Cometas
Horribiles, tragicóſque vates.
DEUS ſuperbis reſtitit hactenus.
Vim temperatam promovet Arbiter

In

In majus. aſt odit tumentem
Divitijs ſine lege faſtum.
Non his juventus orta parentibus
Depinget æquor ſanguine Turcico,
Cædétque Muphtos, vel Corinthi
Mœnia deijciet Popellus
Effeminato perditus otio,
Domeſticorum latro cadaverum.
Non iſta plebs eſt apta bellis
Odryſiis, ſolidíſque Palmis,
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Süevis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeveræ
Matris ad arbitrium reciſos
Spicare palos, ſtringere perticas,
Et quos avitæ legis adhuc tenet
Huc uſque fervor prorogatus
Incolumi fidei calore.
Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.
Emitto votum, quod Superi beent,
Cœlíque faxint! O utinam novâ
Incude proſpectem retuſum in
Maſſagetas, Arabéſque ferrum!
Vincenda reſtant Pergama Thracica,
Et nominati maxima culmina
BIZANTII, regnata Turcis
Mœnia decutienda reſtant.

Tandem

Tandem O! paratas in veniam manus
Fidi sodales pôrgite mutuas.
Non Turca, non Thrax ALLEMANNO
Unanimi venient timendi.
Cras O! beati vincula fœderis
Cernam trilici cusa ligamine!
Cras Patriâ nostrâ emigrare
Participes videam Gelonos!

ODE LIV.

VOTUM

AD B. STANISLAUM KOSKAM SOCIETATIS JESU.

Ut POLONIS suis capto CAMINECCO firmissimâ Podoliæ Urbe 29. Augusti Anno 1672, contra Turcas adsit, cùm antehàc plures illis contra hostes Victorias, maximè verò Anno 1620. contra eosdem Turcas obtinuisset.

In Vita Dan. Bartholi cap. 5. Lib. 2.

BEllo perenni vasta POLONIA
Hinc inde flagrat. Turcicus hinc furor,

Et in-

Et inde Moscus Lithuanos
Vellicat insidiosus agros
Cis ense pugnax, tránsque BORISTENEM:
Hinc militares (gens vaga) Tartari
UCRANIAM carpunt duellis,
Et volucres in equis Cosacci
Servare pacta & fœdera nescij
Agris oberrant: jámque LIVONIAM
Ex parte FINNUS subjugavit,
Súbque sua ditione Prussos
Magnis potitos Urbibus obtinet
PRINCEPS propinquus. plurima perdidit
Luctatus eventu maligno
Sarmata deteriore bello.
At Christianæ plaga recens Rei
Illata, nostris finibus imminet.
Captum CAMINECCUM feroci
Se patulis famulare portis
Submisit hosti, vix reparabile.
DIVO Polono, non alij queror
Gentis fatiscentis ruinam,
Et patrias Tibi narro clades:
Sæpe adfuisti stragibus integris
Custos Tuorum. Tartaricas frequens
Nuper phalanges effugâsti
In latebras, subitásque fossas.
Vexilla quondam, DIVE, Polonicis
Intexta signis, propitio Noto
Inflata duxisti per hostes
Innumeros, medióśque Moscos.

Jam

Jam pugna eundem proxima Sarmatis
Poſcit Strategum: Res tua vertitur:
Periclitanti nî PATRONUS
Sis Populo, genus interibit,
Et Chriſtianæ pompa Poloniæ,
Fidéſque Regni. Turcica ſerviet
Ancilla LUNAE, perfidóque
Curva jugo MACHOMETIS aris.
Nî gratioſâ fallar imagine,
Opem ſpopondit DIVUS idoneam
Suis Polonis, adfuturum
Se Patriæ, Ducibúſque mixtum
Campo ſtaturum. credite Sarmatæ,
Et Martiales ſtringite dexteras:
Candente ſublimem caballo
Cernite! STANESILAUS ille eſt
Veſter Strategus. diffugient Getæ,
Cedéntque fracti, ſi videant Ducem,
Vultúque percuſſi minaci
Se proprijs tumulare telis
Cogentur hoſtes. quantus erit Viri
Torvùm intuentis fulgor, & impetus?
Tum cladis elapſos acervo
Fulmineo metuendus ore
Damnabit aptâ cuſpide Transfugas.
Ter ipſe ſparſam VEZIRIUS nece
Mordebit haſtam: ter pudendam
Funeribus reparare ſtragem
Solers, jacebit: ter refugas retrò
Convertet atro fulgure palpebras,
Viſóque

Visóque KOSKA glorioso,
Comminuet sua victus arma,
Nullúmque bellum Cœlicolis dein
Movere certus colliget agmina,
Castrísque sublatis repente,
Terga fugæ dabit expeditæ.
Vestrum secuti militiæ Ducem
Acres POLONI partibus omnibus
Mactate latrones, ferite,
Cêu pecudes, laniate Turcas:
Mori parati, ut vincere providi
Antiqua Gentis brachia stringite:
Tricena Nactus quisque colla
Objicite in Patriæ salutem:
Durate fortes, & calidas adhuc
Illas machæras lite domesticâ
Mutate causâ pulchriore,
Et calybem spurio cruore,
Non fœderato sanguine, tingite.
Quòd si necesse est, non timidi mori
Pro Rege, pro Regno, rubentem
Ferro animam date finiendam.
Antiqua nôstis vestra pericula,
Et militari nomine glorias:
Per damna, per cædes, ab ipso
Fertis opes, animúmque Marte:
Avita nôstis prælia masculis
Pugnata dextris. nec Patriæ suæ
Adhuc BEATUS derelinquet
KOSKA sinum, querulámq; Matrem.

Sensere

Senſere Mosci ſæpius improbi,
Senſere rupto fœdere Tartari,
Senſere fallaces Cosacci,
Et rabidi didicere Turcæ,
Quid Marte poſſit KOSKA celerrimo:
Frequente Russos (implacidum genus)
Fudit Gradivo, Moldavósque
Alpibus impoſitos, ſceleſto
Nido fugatos montibus exuit:
Felice nuper prælia robore
Commiſit, immanéſque totâ
Hæreticos pepulit Coronâ,
In fronte primus, primus in obvios
Illæſus hoſtes, agmina Turcica
Vexare ſolers, & frementem
Mittere equum medias in undas
Audax, Polonis conſtituit vadum,
Sequíque juſſos duxit ad inclyta
Compendio callis trophæa,
Et celeri feritate prædas:
Is Barbarorum cornua militum,
Ferrata quamvis, diſcidit impetu,
Primóſque, & extremos metendo
Stravit humum, fluvióſque Victor.
Adhuc timetur KOSKA Rebellibus,
Ipsíſque Turcis, & profugis Scythis,
Euxinicum quà bellicoſi
Dannubij ſubit urna Pontum.
Hæc, O Poloni, robora ſpondeo,
Pugnante KOSKA. non ea differet

Cœlum,

Cœlum BEATO fœderatum,
Sed validis ſociabit armis.
At vos, Supremi gloria quò vocat
Cœli Monarchæ, pergite pro Fide
Cruore in Hoſtes bulliente,
Et ſolidas adhibete dextras.
Et en! POLONUS jam gladius redit
Ex clade Victor, ſanguinis Helluo.
Campi redundantes cruore
Funeribus cumulantur atris,
Et ſons Getarum purpura funditur
Juvante Cœlo. Mars favet aleâ
Ter proſperè jactâ. favebit
Ulteriùs ſatagente DIVO.

ODE LV.

Præſtantioráne ſint Studia Literarum, an verò Ars, ac Diſciplina Militaris,

ANne præſtabunt truculenta blandis
Arma doctrinis? meliúſve jus eſt
Fortè doctrinæ? melióрne Mars eſt
Bellicus arte?
Pallas haud fruſtra duplici Minervâ
Conſtat. ARMATA eſt bona; LITERATAE
Dignitas major, potiórque floret
Utilitate.

Unico

Unico Miles redit ex duello,
Atque conflictu: citò callet artem
Mensibus trinis: semel ipse Victor,
Illicò Dux est:
Si scias longos onerare sclopos,
Et scopum doctâ nece fulminare;
Si scias promptè vigilare vallo,
Miles in arte es.
Longior res est studiosa Pallas,
Tardior partus cerebri. per octo
Quantulus Rhetor, Sophus, Archiater
Cuditur annos?
Brachijs quisquis, manibúsque pollet,
Miles evadet. licet à parente
Ipse Naturâ capite es beatus,
Si nihil intus,
Hispidi præter paleas cerebri,
Doctor es necdum, neque fortè fies,
Mille si vivas diuturnus ævo
Nestor in annos.
Nulla vis ferri, chalybísque tantum
Vis potest, quantum generosa possit
Ingenî Virtus: regit illa totum
Artibus Orbem:
Si qua præpollens Ratio Gradivo
Excubat doctâ statione mentis,
Illa victrici superabit hostem
Fortior irâ.
Consilî scuto sapienter usus
Despicans fundæ Balearis imbres

Torta

Torta ridebit ſaliente nervo
Hoſtica tela.
An ſua proſint ſine mente vires?
Beſtias ſævas (licet ampliores
Sint eis vires) rationis uſu
Vincimus omnes.
Sæpius bello ſuperamus aſtu:
Sævit incaſſum ſine mente robur,
Pallade HASTATÂ melior PERITA eſt,
Dedita libris.
Scandat inſanum mare nauta, qui non
Tinctus eſt Aſtris, tremulúmque novit
Arte Magnetem, neque curioſo
Sidera curſu:
Impleat gazis tabulas: carinas
Indicis ſtipet ſpolijs: metallo
Eruto Mundi latebris, & auro
Tranſtra ſaburret;
Addat & gemmas vigiles ſub imo
Gange conceptas: Adamante caplæ
Grandinent ipſi: medio revertens
Turgeat Indo.
Unus has gazas tumulabit error,
Si Polum ignoret ſtolidus Thalaſſus.
Neſciens Rector reliquam Matheſin
Omnia perdet.
Ut quis & Dux ſit ſtudioſus æqui,
Utilis campo, ſolidúſque Judex,
Bellicas leges, Themidémque docto
Calleat uſu.

ODE LVI.

ODE LVI.

Afflictio Pauperum ejúsque pœna expenditur, juxta Illud: Sapient. 6. Potentes potenter tormenta patientur.

NE ſtupe GRANDES: quoties ſuperbo
Calce proculcant miſeros Tyranni,
Non inhumano DEUS Orbe dormit:
Cernit acutùm,
Anguli quicquid ſine fronte peccant,
Aut ubi ASTRÆAE rutilante bolo
Lumen excœcat ſpurius Patronus
Ebrius auro.
Novit hæc NUMEN. meminit ſceleſtè
Facta. prorepet Nemeſis flagellum
Laneos paſſus gravitate penſans,
Otia mulctis.
Pœna, quæ reptat pede pigriore,
Brachio ſontes graviore punit.
Claudicet judex; ſcelus ampliora
Flagra dolebit.
Novit, ah! novit DEUS ultor hoſtes:
Novit impuros, ſcit & Eucliones
Subditæ plebi toties moleſtos,
Qui, velut Iſter,
(Quando it hibernis violentus iris
Fluminum dives ſpolio minorum
Litorum

Litorum rasor) potiora secum
Fœnora raptant.
O quibus largas acuunt secures
Cotibus Reges, dominósque fasces,
Qui coronatum recident parato,
In caput ictu!
Publicis curis malè præsideri
Arbiter novit DEUS, & scelestæ
Imminet fraudi, meritæque librat
Otia pœnæ.
Quicquid à Vobis minor experitur,
Major hoc vobis Dominus rependet,
Quódque patratum est tabulâ minore,
Major obibit.
Ille per summos gradiens, & imos,
Et minas Regum super, & Popellum
Dexteram librans, rigidúmque sceptrum,
Cuncta requiret,
Pauperum threnos, lacrymásque salsas
Prodigè fusas, inopum medullam
Ossibus tractam, saturásque egentum
Ære crumenas:
Si gravatorum tragicas Achivûm
Aure libârit facili querelas,
Væ! quibus scepcri manibus resedit
Sæva potestas.
Magna Magnates quatiet procella,
Et potens Vindex feriet Potentes.
Major in magnos ruet ira Cœli,
Pœna Tyrannos.

X ODE LVII.

ODE LVII.

Vicissitudo Humana mortis Lege adstricta Mundi Amatoribus expendenda proponitur.

LEx scripta firmis est adamantibus
Vastare Mundi commoda pertinax,
Quæ morte definita certâ
Gaudia, lætitiásque finit.
Ætate fractum trudit avum nepos,
Avámque neptis: desinit utraque.
Mortale nil longum, peremptam
Progenie reparante stirpem.
Hoc in theatro fabula luditur:
Socci, cothurni, purpura, penula,
Mitræ, cuculli cum tiaris,
Cum galeis variant coronæ.
Hunc densa stipat pompa clientium,
Dum Sortis audit filius aureæ:
Is Martio campo superbus,
Et gladij capulo timendus
Plus quàm novenis millibus imperat:
Hic Orbis exul pauperiem fugit,
Se mucido frusto saginat
Pauperis hospitij Colonus,
Gaudétque gnavo findere sarculo
Infida terræ jugera, ne fames

Ingressa

Ingreſſa mendicas in ædes
Relliquias populetur æris.
Omnes eandem cogimur in ſcrobem,
Princeps, & Irus, CAESAR, EPISCOPUS.
Mors ſurda non audit Potentes,
Non inopes ſcabioſa curat.
Linquenda Tellus, & domus, & Venus:
Hortíque nullæ, quas colis, arbores
Te, funebres præter CUPRESSOS,
Ad tumulum, ac foveam ſequentur:
Nam, quicquid Orbe eſt, præcipitat pedes.
Inſtar citati provehimur vadi.
Vaneſcit in ventos imago,
Lecta hominis fugitiva forma.
O ſi doloſi corporis aucupes
Nôſſent citatum criminis eſſedum!
Longam fatetur ſe voluptas
Veſtibulo ſceleris patrandi,
Dum primus æſtus fervet, & arido
Natura ligno prompta ſtat ignibus,
Foméſque flammæ præparatus
Attrahit illicio favillas,
Sed perpetrato quàm vitio fugit
Dulcedo velox præpete tempore?
Se ſe videri, non prehendi
Veſte ſinit fugitiva mæcha.
Vides, ut undis purpureum jubar
Expergefacto manè oritur die,
Ac vix notatâ claritate
Vergit ad Heſperium cubile,

Rursúſque lampas mortua priſtinam
Exorſa lucem funere corruit
Iners eodem, conſtituto
Oceani tumulata fluctu.
Veſpillo Mors eſt: dat tumulum parens;
Largita cunas: vertitur omnium
Fatalis ætas, unguliſque
Proterimur fugientis ævi.
Virtus perennat: cætera fluminis
Ritu feruntur. marmoreum Virum
Vocare te noli. puſilla
Vita tua eſt, vitreâque frangi
Conſtat ſalivâ. providus is ſibi,
Lætúſque deget, cuî licet in dies
Jactare: VIXI! cras vel atro
Sole animam dabo, vel ſereno;
Mihi perinde eſt; ſeriùs, ocyùs:
Reddo tributum: Depoſitum ſcio:
Non triplici ſum fuſus ære:
Materiæ fragilis figura.

ADAMI WIDL
E SOCIETATE JESU

LIBER EPODON.

ODE I.

AD B.mam VIRGINEM DE SACRO FONTE DICTAM, PROPE OENIPONTUM IN OBERIGLIA PROPITIAM, IN MONTE PAZIO COLI SOLITAM.

VIRGO, quæ patrijs afficeris petris,
Quà ſe ſe tumido mons acuens jugo
Gibboſis ſcopulis Pyramidem facit,
Sublimis ſpeculâ nites:
Supplex VIRGINEIS ſub pedibus Tibi
Urbs in Valle ſedens ſternitur OENIPONS,
PATRONAÉque ſuum Turribus inclytum
Subdit cum fluvio ſitum.

Supra perſpicuis Fonticulus labris
E petra lacrymas cœlibe parturit
Virtutis medicæ, quæ bibitæ luem
Abſtergunt liquido ſcypho.
O! Suavem quoties ſugere crapulam
Cryſtallo medico contigit & mihi!
FONS hic cauſa fuit, vena Poëtica
Si facta eſt melior mihi.
O FONS, Blanduſio ſplendidior vitro
NYMPHAE VIRGINEAE, MATRIS AMABILIS!
O FONS irriguo quàm ſpeculo natas
Caſtis limpide poculis!
Argentum, reliquis quod fluvijs ſalit,
Parnaſſi glaciem, viváque balſama
Sudata è ſcopulis vincis amabili
FONS cryſtalline balneo.
O Mons ſidereâ nobilis Hoſpite,
Quæ metata ſuum rupe Palatium
Tendit propitias ad miſeros manus,
Celsóque annuit è loco,
Ut morbi huc veniant, & calidæ febres,
Aut Hydrops tumidus corpore naufrago,
Membrorúmque rigor, torpor inutilis
Lentâ peſte ferociens.
Huc omnes miſeri vel pede, vel manu
Adrepant baculis. Hic fluit è petra
Suſpirata Salus: non alibi ſcatet
Tanto flumine ſanitas.
Surgit propitio Sacra Domuncula
Decantata jugo. multiplices tholo
Suſpen-

Suſpenſæ tabulæ, vincula, compedes
Illuſtrem celebrant Locum.
At nil eſt Statuâ MATRIS amœnius.
Amplexata ſuum delicium Parens
Diſpenſat ſapidis oſcula ſuavijs,
Et Natum gremio fovet.
O MATRE egregiâ nobilior Puer!
Formoſa O Soboles, quàm ſimiles tuæ
MATRI fers oculos, quàm ſimiles genas?
MATER totus es altera.
E Templo egredimur. Silvula mutuis
Conſerta arboribus præcipiti viret
Implantata jugo, plena volucribus.
Silveſtre hîc reſonat melos.
Proſpectus Patriæ nullibi pulchrior.
Per leucas quatuor ſerpere cernitur
Undoſis ſinuans ſe Pater anulis
OEnus, per ſcopulos vagus.
Arces horribili vertice pendulas,
Æternis alibi (marmoreos ſenes)
Implutas nivibus conſpicies petras,
Montes calvitio glabros.
Vix uſquam eſt oculis ſcena jocoſior,
Quæ tot dat cupidis pabula ſenſibus.
Hinc, ô VIRGO, Tibi gratulor inclytum
Clivi præcipui ſitum.

ODE II.

Minima quæque ſuſpecta de periculo eſſe debere.

Vilius an quidquam ſcintillâ eſt, deſide vitâ
 Quæ vix ſuperſtes emicat,
Inſerpítq; tremens cineri, mortíq; propinqua
 Lychno ſupremo palpitat?
Et tamen illa levi Zephyri rediviva meatu,
 Adjuta Patrono Noto
Vertitur in ſylvas rapido bacchata furore,
 Domóſque totas devorat.
Quid minus eſt nebulis, indigeſtóque vapore,
 Clausáque ſub terra febri?
Et tamē hæc mōtes tremulo peſsūdedit Orbe,
 Et Civitates diruit. (hortum,
SPONSA ſuum à minimis laceratum vulpibꝰ
 Tonsámq; luget vineam. (blattâ,
Quid minus eſt tineâ, modicáque proboſcide
 Et quicquid uſquam vermium eſt?
Et tamē hæc nitidas comedunt animalia ve-
 Ipsámq; vaſtant Purpuram: (ſtes,
Dente licet tenui ſint, totas Bibliothecas
 Mordace depaſcunt fame. (ſcrupꝰ
Cærula quos minimus projectus in æquora
 Exſuſcitavit turbines?
Unius ob lapidis culpam quàm ſæpe tonare
 Auditus offenſus Polus?

Pulveris igniti numero licet unica mica,
Simpléxque granum ſulphuris
Fomite concepto totas deglutijt Urbes,
Arcéſque ab imo ſuſtulit;
Diſrupit ſcopulos, fractáſque tyrannide rupes
Diſſòlvit æſtus nitrius.
Unica prædominãs inimicæ guttula myrrhæ
Totum profanat dolium.
Quis neget in minimis teſtata pericula rebus
Ineſſe, plus, quàm millia?
I, peccatillis clemens, atomíſque jocoſi
Confidito mendacij: (vilem
Olim Elephantus erit, minimo quod corpore
Rebaris eſſe pulicem.
Neſcis, heu! neſcis faſtidia plurima Cœli:
Tibi videntur gratiæ.
Nempe microſcopio divini orbaris ocelli,
Ut ipſe te non noveris.
Tempus erit fatale obolo, quo numus iniquũ
Grandeſcet in ſeſtertium.

ODE III.

Qualiter Converſatio noſtra proximis, (Afflictis præſertim, moribundis, ingenuis, & contumacibus) accommodari debeat.

Sit ſermo lenis, comis, & dulces olens
Vox placida mores. ore mens traluceat.

Si differendum eſt, tacitus inſinua tuæ
Opinionis formulam, & lites fuge.
De militari gloria, galeis, tubis,
Gladijs & armis militi prodeſt loqui.
Compatere preſſis, quotquot incurvi jugo
Cervice pronâ pectus afflictum dolent.
Solare miſeros: vivere in Cœlis DEUM
Adhuc Patronum: nubibus finem fore
Phœbo ſereno reduce: ſperarent modò
Meliore freti tempore: immitti cruces,
Ut majus olim præmium accipiat dolor:
Adeſſe Numen caſibus: quiſquis crucem
Patiente tulerit corde, portari à cruce:
Hîc eſſe cuncta brevia, ſed longum ſequi
Æternitatis anulum: Mundo altero
Fore elevandos pauperes, ſtratos humi,
Peſſundatóſque, quotquot hîc vitam trahunt
Plenam miſerijs, Sortis adverſæ jocis,
Inſtar novorum germinum & florum, ſuo
Olim virori æſtate reddendos novâ:
Ibi innovandum regimen, & totum ſtylum
Severiore Curiâ: Epulonem Stygi
Adjudicandum; Lazarum ulceribus putrem
Pulchrâ induendum purpurâ, lautis cibis
Iri refectum, gemmeos inter dies.
Si ſit animandus fortè moribundus, cave
Terreſtre quiddam promere, aut fœces olens.
Ægro levamen adde: patienter ferat,
Specimine CHRISTI, quicquid à morbo venit;
Atrociora plura perpeſſum DEUM,
Acumi-

Acuminatas improbis ſpinis acus;
Dediſſe flagris ſanguinem, & totum botrum
Cruce laceratum ne quidem extremam ſuo
Servâſſe ſtillam corpore: emunctum ſacro
Totum racemum ſanguine, & diram necem
Adijſſe ſponte, libera ut ſtaret Salus
Homini nocenti legis offenſæ reo.
Aſpicere quinis fontibus plagas jube
Adhuc rubentes purpurâ, effoſſum latus
Oſtende CHRISTI ſæpius: vallo hoc, doce,
Ut lateat anima, teneat invictum ſitum
Adverſus hoſtes; metuat hâc miles nihil
Munitione: forte propugnaculum
Latus eſſe CHRISTI, fortius nullum dari.
Venuſta quàm ſit Patria Cœleſtis domûs,
Verbis amœnis explica, quàm ſint mero
Adamante ſculptæ januæ, poſtes vitro
Lucente nitidi, lubricæ gemmis baſes.
Dicas, ſolutam corpore emerito (casâ
Ignobili) animam, carcere effracto velut,
Cupidè evolare, liberam exilio gravi,
Sicut citata volucris, ubi caveæ fores
Reperit apertas, profuga diſcedit procul,
Et uſa pennis ſtrenuè nubes ſecat.
Hac arte morti proximos lucrabere.

Inviſe vivos. aliter ingenuos trahe,
Alitérque crudos. aſperis verbis juvat
Uti ſubinde, placida cùm proſint nihil.
Adige Rebelles fulmine, infeſtis minis:
Percelle flammis Tartari: ita rupes petit,

Ferróque cuſus genius. armatâ manu
Si ſint adacti, plurimi aſſueſcunt jugo;
Carnifice plures ſæpe convertit DEUS.
At tenera quibus eſt cordis anguſti fibra,
Metúque tremulum pectus, affectu trahe,
Et delicata verba mellíto favo
Intinge: Mater ubera, & lac eroga;
Promptos habebis. plura diſſimula probis:
Ubi annuendum eſt, annue, & factum proba:
Ubi renuendum eſt, renue: perſonam cave.
At obſtinatos increpa, & linguâ feri.
Nî fulminetur callo obarmatum ſcelus,
Durare perget. exhibe robur Viri,
Tripliceque pectus ære fundatum indue.

ODE IV.

AD MANTICUM JACOBINUM NOBILEM JUVENEM.

Certæ ipſi Modeſtiæ Regulæ deinceps obſervandæ commendantur.

GEſtus lege coërcitos,
Pulchrum membrorum regimen,
Ipſo ex fonte Modeſtiam
Piſcatus, propino tibi:
Ne cervix vaga pondere
Incerto ſe circumagat,

Sed

Sed recto stabilis situ
    Flexurâ inclinet modicâ.
Demissis oculis stude;
    Errones compesce tubos,
Distractos revoca celer.
    Multis aspectus nocuit:
Sirenum effigiem cave,
    Oppila postes geminos,
Ne frontis pateant vitra;
    Mors illàc sæpè ingreditur.
Sit lætus facie color,
    Rugáque innubis minimâ;
Detersus niteat dies
    Porrecto frontis speculo.
Ne buccas geminas preme,
    Aut plus distento spatio
Diduc ora patentia
    Rubrâ labrorum tunicâ;
Colli recta Columna stet.
    Conserva vestes nitidas,
Nullo pulvere sordidas.
    Pacato semper sedeant
Gestu compositæ manus.
    Incessus ne sit rapidus,
Festinâ immodicus fugâ,
    Extremum nî forte malum
Suaderet celerem gradum.
    Omnes sint gestus nitidi,
Qui toti placeant foro.
    Et spectatorem rapiant.

Talis

Talis flos Juvenum fuit
E GONZAGARUM genere:
Talis Gemma POLONIAE,
Et JAGELLONUM columen.
Hi morum Tibi, MANTICE,
Exactum præbent specimen;
Si vestigia triveris,
Vitam vives Angelicam.

ODE V.

AD ILLUSTREM JUVENEM RUDOLPHUM DRONOLÆUM MAXIMAE, AC MARTIAE SPEI SURCULUM.

VIs nôsse fructus, num boni, num sint mali?
Vide Parentes arbores.
Degenere nunquam sobole fœcundi scatent
Horti feracis incolæ.
Non tribulus uvam parturit: nemo pyrum
Rigente dumo messuit.
Et genus, & abavos arbores jactant suos,
Avita nôrunt stemmata:
Stirpem propagant arbores omnes suam,
Ignobiles & Nobiles.
Si rubra fuerit arbor, ex ipsa rubri
Repullulant & filij:

Manat

Manat cruore Morus, & fructus boni
Hærede manant ſanguine:
Granata Mala nobili creſcunt patre,
Nolunt deëſſe ſtemmati.
Aquila palumbem neſcit,& Corvum Cycnus.
Diverſa utriſque ſemina.
Cornuta non cuî fronte ſylva pullulat,
Cervo juvencus eſt pater;
Elephas ſupremus inter animantes ſophus
Vaccam parentem non habet,
Turritus Heros militari tergore
Avos recenſet maximos.
Vaſtator Orbis Hercules fungo levi
Therſite naſci non volet.
Fortes creantur fortibus, Lupus Lupo,
Leo Leone gignitur.
Et tu, RUDOLPHE, nobili Cedro ſatus,
Heroë Natus maximo
Refers Parentem; maximas dotes habes,
Dignáſque tanto Sanguine;
Spiras Gradivum Martio vultu minax;
Trophæa ſperes plurima.
Olim Otthomanas proteres Lunas ferox;
Exempla Patris provocant.

ODE VI.

ODE VI.

AD HOMINEM

De ſobrio Creaturarum uſu, ac ultimo ejuſdem fine, ut illi convenienter vivens DEO fideliter ſerviat.

AUdi HOMO, fabrica Numinis,
Artifici glebâ ficte!
Vita data eſt tibi nobilis,
Debita Cœleſti Fabro.
Quicquid in Orbe vides, tuum eſt.
Terra tibi ſervit tota,
E pecore, ex avibus ſuis
Prodiga vectigal pendit,
Non ſibi, ſed tibi provida.
His fruere humana uſura!
Sed cave, ne bona prodigas:
Utere, ſed quantum prodeſt.
Flumina ſtant tibi piſcibus,
Æquora Berillis fœta:
Florida Sardonychum parens
Progenerat gemmas Tellus,
Vina tibi pluit optima,
Et ſapidum Nutrix hauſtum;
Corde ſuo faciles bonam
Progenerant rupes undam,

Viváque

Viváque flumine nectara
Nata repugnanti fundo.
Integra viſcera montium,
Et juga pingueſcunt auro,
Terráque plena peculio eſt,
Et ſale condîtæ petræ.
Undique divite copiâ
Deliciæ ſtant accinctæ.
Nil tibi ad Emporium deeſt,
Atque voluptatum fluxum.
Sed cave, præcipites manus
Nê piceo immergas viſco.
Plurima neglige: plurima
Selige, quæ fini proſunt:
Neuter ad omnia candido
Judicio explora cauſas,
Rémque tubo velut Optico
Inſpice; deliba finem:
Quàm bona, vel mala cauda ſit
Seris temporibus, penſa.
Principij bonitas nocet
Præcipiti arrepta amplexu.
Qui pereunt, pereunt citò.
O Homo, feſtina lentè.
Hoc opus, hic labor eſt. Polum
Non niſi ſudando aſcendes:
Saltibus ingredimur Stygem,
Quin trahimur ſæpe inviti.
Curribus huc miſeri integris,
Et ſolidis vadunt plauſtris;

Side-

Sidereúmque palatium
        Non nisi guttatim intramus.

ODE VII.

Gloriosum Hominis esse, sensuum suorum libertatem coërcere.

PRobrosa non est servitus omnis, licet
        Arctis catenis prodeat.
Quæ militari vita transigitur sago,
        Captiva sæpe ducitur.
Quantùm triumphat vinculis PAULUS suis,
        Nodísque centum ferreis?
Ut gloriatur innubo castus Pugil,
        Felix AQUINAS Baltheo?
Exempla suadent. sensuum motus juvat
        Decente nexu stringere.
Si vincta fuerint lumina, oculorum Pharus,
        Et curiosæ lampades,
Non emigrabunt facilè: constanti lare
        Domi manebunt fulgura.
Periclitari solitus aspectu pudor,
        Nil inde damnorum feret;
Venationes nuspiam formæ struet
        Visus, pudoris proditor.
Nil capta peccat auris, aut blandis gula
        Lenocinata gustibus:
Nil alibi bibula narium tentat fames
        Lasciviens odoribus.

Si com-

Si compeditus Tactus est, palpo caret;
Manus catenas induit.
Non ille servus dicitor, qui sensuum
Compegit in turrim procos;
TORQUATUS ille victor est, claro satus
E MANLIORUM sanguine.

ODE VIII.

Humanam peccandi fragilitatem Expendit AVCTOR, Cùm in illa verba Job. 15. (*Et Cœli non sunt Mundi in conspectu ejus*) (*Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis, qui habitant domos luteas? &c.*) *incidisset.*

DA Virum, cujus generosa Virtus
Arcem pectoris occupet;
Quæ sibi constet similis, nec ullo
Corrumpat vitio statum;
Quam dies nascens, videátque eandem
Solis decrepiti jubar;
Quæ fatiscenti clypeata Mundo
Infractam obijciat petram;
Gaudijs quam nec subitis voluptas,
Sórsque emasculet impotens:
Tristibus quæ nec caperata rugis
Fortunâ tragicâ fremat.

Ipse

Ipſe non rarò ſapiens virili
Præceps è ſpecula cadit:
Scimus, ut noſtri generis Parentem
Pellax Femina luſerit.
Degener molli SALOMONA luxu
(Quis credat?) ſubigit colus.
Viſa diſtanti ſpatio DAVIDEM
Infelix ſpecies necat:
Optico nugax oculo uſa Cypris
Fallit præcipitem Ducem.
Lubrico SAMSON Veneris duello,
Stratus Vir ſolidus cadit;
Non Atlas illo potior ruinam
Lapſæ tollere Patriæ;
Sorte ſtans idem geminâ tenacem
Servavit necibus Virum;
Obvius rimis titubantis Orbis
Fulſit pondera brachijs;
Sæpius clades dirimens paratum
Pectus funeribus dedit:
Vincitur tandem muliebris Heros,
Dux Uxorius à Lupa.
Quot Cedri prono cecidere trunco
Stantes in Libani tholo?
Plurimos ſtravit ſpecies doloſis
Virtuti inſidians genis.
At quid humanæ lacrymante Musâ
Vitæ crimina proſequor?
Ipſe tot Stellis vigilatus æther
Sordet luminibus DEI;

Angelos

Angelos ipsos Proceres Olympi
Invênit sceleris reos.
LUCIFER passus maculas, Planetas
Secum detulit in Stygem.
Et casæ viles luteæ stupemus
Spargi sordibus incolas?

ODE IX.

Miserrimam Regnandi, ac Gubernandi ambitionem plurimos in præsentem interitum præcipitare, & infelices reddere.

O Regna! vanum nomen, & terræ pila
Ventoso aëre turgida!
Infida Sceptra! fusus ex auro dolus!
Quàm magna momento ruunt!
An non perennes Regio mentis sinu
Bellona curas educat,
Aut educatas nutrit, ac vitæ timet?
Ex apparatu collige.
Isthîc satelles obsidet solium Furor,
Et Ira servat limina,
Miléśque circa Principis fusus latus
Custodit armis atrium:
Repente & ipse diffugit, prodit suum
Regem frequenter Æmulis.

Sic

Sic Roma vidit CÆSARES plures die
Vix imperantes unico,
Quos voce ſubitâ Miles impoſuit throno,
Noctúque rurſus expulit:
Sic Lurco PHOCAS ſede MAURITIUM exuit
Mortalium deterrimus.
Multi Coronam, pauculi Regem colunt,
Quem vergere in caſum ſciunt.
Seditio ſatis eſt unica, ut Princeps ſuâ
Sæpe abdicetur purpurâ.
Lenocinata turba Fortunæ advolat,
Quam blandientem noverit,
Velutíque calidam bruma confertas aves
Expellit in Provinciam,
Ubi ſenilis vertici incano nives
Aſperſit albentes hyems;
Sic ſterile Regnum populus, & Regem fugit,
Qui ſubditos cenſu gravat.
Vidi refertas Aulicas nuper fores
Ante-ambulonum examine:
Vidi frequentatos Monarchas aureos
Pediſſequorum ſyrmate:
Evanuere ſubitò deſerto throno,
Campóque Miles transfuga.
Ita ROBOAMUS undecim Gentis Tribus
Amiſit, Aulæ nucleum.
Sic nempe fallax aura deſtituit Ducem,
Pecuniæ voraginem.
Ne fide ſceptris: faſcinum Sortis time
Rebus ſecundis ebrius.

Erit,

Erit, ut theatro Nomen evertant tuum,
Exsibiléntque gloriam.

ODE X.

Vanam, ac brevem esse sceleratorum in hac vita felicitatem.

ELoquar, an sileam? justas habet ira querelas,
Nequissimos vulgò esse felicissimos.
Vidi alacri vultu, ac rectâ cervice nocentes,
Mortaliúmque pessimos incedere,
Séque supercilio circumspectare superbo,
Auro vibrantes, sericis fulvos togis,
Qui ludũt inopũ jugulis, mactãtq;, necántq;,
Putántque nullum sceleribus pasti scelus.
Flagitij nulla his saties, nec meta patrandi,
Quicquid patrari poterit à spurcissimis.
Queîs nũquã est meli', miserûm quàm si pede possint
Inambulare vertices Tyrañico.
Longævi tamen hi totũ propè Nestora vivũt,
Serósque Numen prorogat vitæ dies;
Nempe ut pro Cœlo terrestria munera captẽt:
Pereñe posthàc nil, quod exspectent, habẽt,
Cêu servi, quos ære pari pro tempore solvit
Paterfamilias, móxque proturbat domo.
Credite! nõ constãs flos est, nec ludus in orbe
Potentiæ pessundatricis pauperum.
Fabula mendacis lucri cum tempore cessat,
Evanidúmque desinit marsupium.

Tunc

Tunc equites ibunt Iri, repeténtq; triumphos,
Peditésque Crœsi debitas pœnas ferent.

ODE XI.

BEATISSIMA VIRGO MARIA GRATIÂ PLENA, SUPRA OMNES ANGELOS, AC SANCTOS EXALTATA.

PANDORA rerũ Domina, si famæ est Fides,
Dijs amica singulis
Ditata fertur integro Cœli globo
Mundi lucrata machinam.
Tulit illa Gazas plurimas, quicquid Polo,
Tellure quicquid splendidum:
Quicquid sub imis consciæ terræ fibris
Dormit metalli lividi;
Fœcunda quicquid Gangis opulenti lavant
Æris repôsti flumina;
Eôa quicquid ripa gemmarum parit,
Longóque Sole percoquit;
Natura quicquid fabricat, aut fingit Soror
Ars, Erudita simia,
Favore meruit Femina Imperium; tulit:
Ærariúmque Numinum:
Nihil remansit copiæ. totum dedit
Jovis profusa Gratia.

Res

Res mira! quidvis feminæ impetrant, licet
Res postulent gravissimas.
Quid fabulamur? nulla Pandoræ fides,
Inéstque nil mendacio.
MARIA melior illa PANDORA est, opum
Circumfluens Exercitu,
Multas Potentum filias grandes sibi
Legisse thesauros scio,
Sed universas VIRGO divitias præit
Potita quæsturâ DEI.
Quicquid vel ipsis Angelis sparsim datũ est,
Simúlque Divis omnibus,
Has uno acervo gratias vincit suo
PANDORA Cœlestis statu:
Hæc Laureatas Martyrum vincit Rosas,
Nivésque castas Virginum,
Præsaga Vatum labra, purpureas neces,
Sacrásque Doctorum scholas.
Totum illa Cœlum, nacta Divini Parens
Hæreditatem Filij est.
Depauperatus, gratiâ ipsius, DEUS
Indutus humanâ est togâ:
Distribuit illa præmia, & nummis præest,
Marsupióque Cœlitum:
Ipsa est Canalis Gratiæ, quicquid Polo
Descendit ad nos munerum,
Venit per ipsam, depluit per VIRGINEM
Pecuniosam largitas.

 ODE XII.

ODE XII.

Honorum Repudiatio in SOCIETATE JESV, *omnique Hominum genere commendabilis.*

TErgeſtina procul Mitra eſt,
Cinctura JAJO verticem,
Rubri gloria pilei,
Optata multis Purpura.
Subducit refugum Mitris
Caput ſequeſter BORGIAS:
Longè eſt magnificum Pedum,
Et fœta nummis dignitas,
Quæ vitâ toties ſtetit
Fuſo dirempta ſanguine.
Eſt plenum invidijs opus.
Nunquam quieſcunt Æmuli;
Obliquis oculis videt
Livor, Tyrannus Grandium.
His centum invigilant doli,
Qui ſede primâ conſident.
Mendax vultus Honoribus,
Mutabiliſque gratia
Cêu Phœbus pluvius micat,
Simul nitens, & turbida eſt.
Mens impos cupidis tumet
Inflata terræ glorijs,

Neſcit-

Nescítque imperium pati,
    Si fortè in altum creverit.
Quàm torvo aspicitur Jove
    Devota Quercus fulmini?
Quas iras patitur Cedrus?
    Myrica serpit libera.
Quis mons est sine vallibus?
    Quis Magnus abs vertigine?
Excelso solio sedent,
    Ut fortiùs summi ruant.
Cui palmi gemini angulus,
    Cubiculúmque sufficit,
Felix is sine jurgijs,
    Procúlque Vir negotijs,
Qui nescit, quid agat suis
    Distenta ROMA Curijs,
Quid Magni Domini coquant
    Clauso Senatûs ostio;
Quæ Decreta RATISBONAE
    Cudantur, aut quid SPIRA agat.
Felix, qui sibi providus
    Immersus est soli DEO:
Non belli is strepitum timet,
    Nec curat offensos Duces,
Qui terræ patulum globum
    Armis utrinque dividunt.

ODE XIII.

AD OLIVERIUM FURNUM.

Amicum suum periculoso sæculo ad S. PATRIS IGNATIJ Octiduana Exercitia invitat.

Mundo depositissimo,
Suæ ruinæ proximo,
Cùm mõstrosa viget crimine sæcula,
Quid læso facies DEO,
Quò tu saluti consulas?
LOJOLÆA tibi delige tempora,
Musæum ingrediens Sacrum.
Ibi sagina spiritum
Contentus tacito, FURNE, cubiculo,
Et mundè sapidâ dape
Necessitatis providæ,
Quæ nec vel modicũ, vel nimiũ sciat,
Nec sit lauta gulæ, nec macra
Victûs honesti Regula,
Cêu pullus caveâ sponte latens suâ,
Expende hîc Hominem tuum.
Non pœnitebit otij.
Fundatæ hîc adhibe vim Sapientiæ,
Scutúmque Exilij Sacri,
Quod te docebit spernere,
Quicquid nõ solido marmore nititur,
Quic-

Quicquid non Superos olet.
Isthîc videbis punctulum
Mundi, quàm tenui sit modicũ pilâ.
Grandescent tibi Sidera,
Palatiúmque Cœlitum,
Ut toto huc animi pondere te feras.
Nil Orbis sapiet tibi,
Non inquieta dignitas,
Aut nuḿosus adeps. non eris Euclio,
Sed largæ manicæ dein,
Et liberalis pauperi,
Si quandóq; pedem protuleris domo.
Felix pace domesticâ,
Leníque conscientiâ,
Si Sors inciderit, non metues mori.

ODE XIV.

AD PAULUM FLORENIUM RELIGIOSI ORDINIS APOSTATAM, DE NIMIA SCIENTIA, ET LINGUARUM PERITIA OPPIDÒ SIBI SUSPECTUM.

Quamvis nec minimũ possis terrere Licyscũ,
Latrare qui parum sciat,
Blãdiris tamẽ ipse tibi, quasi maximus heros,
Esséſque Phœnix ingenî,
Et quasi non similem genuisset fertilis Orbis
Lassatus hoc partu sinus,

In mirabilibus reliquos ſuper unicus omnes
Inflatus Atlas ambulas:
Pſittace, viginti linguas te nôſſe fateris,
Ipsámque Hebræam principem,
Inſuper & Græcos uncos cruce circumflexos,
Accentuum dracunculos,
Iñumeráſq; alias variāte proboſcide linguas,
Nec ſcis rotundè duplicem.
Sola tibi eſt obiter vernacula cognita lingua,
Nec illa formosâ phraſi.
Italicas noſti paucas ſputare parollas,
Quas prolocutus, mutus es:
Si Gallus veniat, ſeróve Hiſpanus ab Orbe,
Repente diſpàres domi,
Aut morbū excuſas, ne te tua fibula prodat,
Vales, ſed ore non vales.
Sunt tibi ſunt æquo plus ſcintillantia verba,
Sed fulminis parum, aut nihil.
Vix es odoratus civilis dogmata Juris,
Decémque Legum ſcrupulos,
Et jam nodoſos Orbis te ſolvere caſus,
Omnéſque funes Gordios,
Perplexíque fori pugnas, Themidíſq; duella,
Et curiarum prœlia,
Innumeras tricas, dicis, te ſolvere velle.
O magna nux, nil nuclei!
Es tibi Alexander, quamvis non noveris enſē.
O magna vox, lanæ nihil!
Multa die longâ blateras, collecta florenum
Quæ non valebunt unicum.

ODE XV.

ODE XV.

Providentiam DEI Homines, & Bruta in medijs periculis morte illæsos servantem mirabilem esse, ostenditur.

QUem Magnus clypeo DEUS
Objecto medijs sæpe periculis
Tutatur, latuit bene.
Sic MOSES facili naufragus æquore
Intrâsset tumulum maris,
Nî TYPHIN minimum cum rate parvula
Servâsset melior CHARON.
Sic certis DANIEL præda Leonibus
Cessisset spolium fami;
Sed dentis cupidam Marmarici molam
Numen pacificum stitit;
Tunc Virtus medijs (victima credita)
Lusit rictibus hostium.
Sic olim stabulo paupere vagiens
Quæsitus rabido DUCI
Evasit teneri funera sanguinis
Maturè profugus DEUS.
Sic textrix latebræ fertur aranea
Nevisse hospitium Viro,
Quo FELIX subitos luderet impetus
Sphyngum prætereuntium.

Non tantum est Homini propitius DEUS,
Sed multis etiam Feris:
Nam, quæ præsidij nuda rapacium
Jam præda est avis unguium,
Solo tecta DEO diffugiens, trucum
Ludet rostra volucrium,
Et Cœlo volitans garrula libero
Solvet guttura cantibus.
ANSELMI timido splene Lepusculus
Oppressus numero canum,
Cùm jam consilium non foret ad fugam,
In DIVO reperit Patrem,
Et vitam redimens sospite pallio,
Patrono latuit sinu.
Quem gaudent Superi vivere, non perit;
Armis inviolabilem
Circumfert animam marmore durior.
Ferrum stringite, quod placet:
Inflammate rogos: ignis edax fames
Sylvas devoret integras;
Succensa ex oleo fundite balnea;
Tutus vindice Numine
Loricâ vacuum, non patientiâ
JOANNES caput offeret,
Ingressus calidi vasa bituminis
Exibit nive pulcrior,
Cêu sudans rapidis massa caloribus,
Aut argentea lamina,
Quæ censore foco purior emicat.
Regnat providus Arbiter,

Qui

Qui Mundo vigilet. non sine Numine
Res duræ eveniunt bonis;
Est, qui cuncta videt. non sine Numine
Res lætæ eveniunt malis.

ODE XVI.

Præclarissimum factum R.P. EDMVNDI SICKINGEN SOC. JESV Sacram Hostiam vomitu ab Ægro redditam cum tota materia in se resorbentis prædicatur.

Æger erat stomacho crudo, cui nausea multa
Sæpe movens stomachum
Mansos reddiderat cibos.
Ad mortem properās valetudo afflicta monebat,
Morbidus Angelicam
Maturè caperet dapem.
Sed quia discrimen vetuit, ne fortè beatum
Redderet ore epulum,
Præmissa experientia est,
Comunísne foret retinens embamatis Æger,
An refugo stomacho
Sorptum respueret cibum.
Successit modus. infracto durante palato,
Materiam tenuit
Clausi ventriculi fides.

Aſt ubi porrectꝰ Cereris ſub ſchemate CHRI-
Ecce tibi vomitum, (STUS;
Et multo pluviam lacu!
Quicquid per mediū ſtomachꝰ cōparſerat an-
Phlegmatis, aut choleræ, (num
Uno flumine redditum eſt.
Livebat gilvâ ſanies undante ſalivâ,
Alveus horribilis
Exosâ viruit gula:
Jámq; procelloſo Sacra Hoſtia fonte natabat
Sordibus implicita,
Incocto media æquore.
Quid faciamus, ait, non hæc uligine plena
Area digna DEO eſt:
O ſi dexteriùs cubet!
Huc animos date Mortales,& ſternite lectum,
Molliùs ut jaceat
Panis ſub ſpecie DEUS:
Firmus adhuc mihi ſtat ſtomachus, melióꝛq;
Quæ vomitum recoquat; (culina,
Sic conviva jubet meus:
Ulceris exuxit Senis CATHARINA mephitin,
Par opus auſa ROSA eſt.
Nil tale eſurient Viri?
Ille venenatæ potor CONRADUS Arachnes
Funeris haud metuens
Et peſtem, & Medicum bibit.
Dixerat. & cupidos acuens in prœlia dentes
Helluo magnanimus
In ſe ſputa reſorbuit,
Et to-

Et toto vomitu cœnans inimica comêdit
Phlegmata, mixta DEO,
Attactu Sacra Numinis.

ODE XVII.

Probata toties tragicis Exemplis Sacri illius Acroamatis (Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles) Veritas demonstratur.

Quàm miris variat casibus alea,
Quæ nigris oculis salit,
Tam miris variat fabula lusibus,
Quam Fortuna novat duplex.
Hæc jam propitijs blanda Favonijs,
Mox torva est Aquilonibus.
Sublimem solio vix imitabili,
Majestate trucem vide
AMANEM, variæ mancipium DEAE,
Plenum perfidiâ Virum!
Ascendit subitum nequitiâ thronum,
Sed præceps citiùs ruit,
In furcam ex solio repperit is gradum
EXCELSUS gemino loco.
Qui supremus heri (gemma palatij)
Dictator Patriæ fuit,
Terrarum dominis par ierat Dijs,
Tot circumfluus Aulicis,

Quot Soles numerat Circulus annuus,
Cultus poplite ſupplicum,
Illum vappam hodie plebis, & obvijs
Scurris ludibrium vides
Faſtiditum oculis prætereuntium.
An nôſti NABONASSOREM,
Qui præſepe tulit pro ſolio pecus,
Pro Lauro duo cornua,
Et fœnum comedens ſub pluvio Jove
Guſtavit miſerum ſtatum?
Res exoſa Polo eſt alta Superbia,
Et dirum Superis ſcelus.
Execrata Jovi Quercus, in edito
Quæ gaudet Libano ſeri,
Mox dum luxurians ſideribus caput
Miſcet, fulmine tangitur.
En! ſtirps, quæ Zephyro ſuevit amabili
Incriſpare comas, jacet,
Pérque ingens ſpatium corpore florido
Languens brachia porrigit.
Sic eſt. magna ruunt. raptat in ardua
Virtutem refugam DEUS,
Quæ ſecura ſui repere geſtiens,
Inſperata throno ſedet.
A libra ſpecimen ſumite. decidit
Laux una, altera tollitur.
AMAN magnifico proijcitur ſtatu.
Surgit MARDOCHIUS ſenex.
Te ſi præcipitet ponte volucribus
Circumvecta rotis DEA,

Con-

Contentus modico labilis angulo,
    Divinam cole diphtheram:
Æquâ mente levem riſeris aleam,
    Si Sortis metuas nihil
Fortunæ ſpolijs, non animo minor.
    Si rurſus placeat DEO,
Amiſſum referes fœnore prodigo
    Quæſtor fertilior penum.

ODE XVIII.

JESUS CHRISTUS BELLI DUX AD AMANTISSIMOS PATRES, ET FRATRES SOCIETATIS SUÆ à SANCTISSIMO NOMINE SUO INDIGITATAE.

Invitat eos ad Indiæ Salutem, & Domini Vineam.

MActe animi Cohors,
    Electúſque Hominum grex,
Nucleus optimus!
    Macti Orbis domitores
Sanguine prodigi!
    Bellum difficile inſtat,
Vos mihi milites,
    Atque Exercitus ingens,

Maſcula

Maſcula pectora,
Sacri fulmina belli,
Flos eritis mihi,
Morte interrita turma!
Non petulans mare,
Non diſcrimina Lethi,
Non mediæ neces,
Non ſanguis rubicundo
Fonte ſcaturiens,
Non hauſtum latus haſtâ,
Non gladius vibrans,
Non ſtricto enſe lacerti
Inijciant metum.
Nôvi, nobile nôvi.
Ex ſolidâ mora
Fuſum pectus aheno.
Heſperias aquas,
Uſtos ſolibus Afros,
Armuſiæ Sinum,
Diſtantéſque MOLUCCAS,
JAPONIAE plagas
Fuſo ſanguine pingues,
Regnáque Barbara
Ad magnum ſita GANGEM,
Difficilem CHINAM
Arcto tramite clauſam,
BRASILIAM nigram,
Fœcundam SOCOTÓRAM,
Et MADAGASCAREM
Auro divite fœtam,

Inde

Inde Peruviam
        Omnes viſere vultis,
Fervida plurimo
        Nôvi vota calore.
Ite celerrimis
        Héröes cupidi Euris!
Ite nefarias
        Expugnate tenébras,
Et Stygium chaos
        Verâ ſpargite luce,
Currite. tempus eſt.
        Aſt hi, quos ſibi jure
Patria vendicat,
        Europae medeantur:
Invigilent dolis.
        Hinc Germania flagrat,
Portio nobilis
        Falſo tincta Prophetâ
Teutoniæ probro.
        Illinc Gallia motu
Plena Hugonottico
        Pronâ mobilis aure
Jansenii bibit
        Sero dogmata ſæclo.
Ite! veneficos
        Hos exſcindite nidos.
Parte aliâ vocat
        In partem medicinæ
Anglia triplice
        Porrecta Inſula Regno.

Currite

Currite. nam Viros
    Hæc Legatio poſcit:
Non acie feri
    Expalleſcite cultri.
Currite. purpuram
    Fuſo pingite tabo.
Ite! nec integer
    Quàm ſit ſubditus Orbis,
Et geminus globus,
    Fortes antè redite.

ODE XIX.

AD DIONEM CREANDRUM.

Malas, ac temerarias Suſpiciones nullum in animo noſtro locum habere oportere.

Quouſque pergent ſubdolo ingenio vafri
    Mendace palpo fallere
Senſus iniqui judices, teſtes leves
    Diſcorde rerum faſcino?
Viſus doloſo perfidus nictu trabes
    Fractas in undis aſſerit,
Remúmque merſum curvat illimi vado;
    Tactus reclamat æquior.
Variat palatus. dulce quod multis fuit,
    Multis putatur felleum:

Quæ

Quæ viſa nobis lota Riphæâ nive
Quondam fuêre, nigra ſunt:
Quin ſæpe montes ambulant. præpoſteri
Nutare turres credimus.
Suſpecta res eſt, fallimur. nemo ſatis
Arcana nôvit pectorum,
Niſi qui potenti corda rimatus face
Renes lucernis viſitat.
Ratio vacillat, credula indicio levi,
Et quod videmus, error eſt,
Intentionis clavis humanæ deeſt,
Reconditúſque finis eſt:
Hâc deſtituti, Marte violento intima
Intramus in præcordia,
Revellimúſque cardines. clauſas ſeras
Ipſis negatas Angelis
Malè ſuſpicando frangimus. quoties DEO
In munus involavimus?
Hic fur habetur, ille meretricum procus,
Corraſor hic pecuniæ:
Sunt innocentes. Numini ſoli forum,
Patétque conſcientia.
Senſus inepti nuncij, fumos meros
Fraudum magiri venditant.
Exiſtimatum Ratio caſtiget ſcelus,
Virtúſque ſenſum corrigat.
Homo ſerenus labe, vitæque integer
Errore damnat neminem,
Se nequiorem reputat, ac proprias fores
Everrit, & cubiculum:

Si vi-

Si videat alibi ſcelera, feſtucas putat,
Quod ipſe peccat, arbores.

ODE XX.

Sacra Scriptura, Catholicæ Veritatis Puteus, miſerè ab Hæreticis omnis ætatis depravata, infecta, vitiata.

NOn celebres GERARAE fôtes, puteósq; pro-
Vix non diremptos ſanguine (pinquo
Exosâ cytharâ canam,
Quos ſuperinjectâ planârunt mole Philiſtæ,
Et ISACUS refôderat,
Salſi materiam joci:
Non diſceptatas rixis mordacibus undas,
Et tincta bello flumina
Antiquâ recoquam lyrâ.
Nobilior Fidei Puteus ſub pectine ſudat
Aquâ diſertus virgine,
Primâ perſpicuus nive,
Quo ſincera natant ſpeculi ſuperantia lucem
Antiqua Vatum Oracula
Caſto limpida poculo.
Hunc Epicuræo non nemo ſtercore fontem
Replere totum nititur
Latrinam redolens Popa.

Deriva-

Derivare alij venas, & brachia tentant,
Totásque ſiccant paginas
Furtivi arte MELANCHTONIS:
Quin volet hîc etiã ſtabulari Rana, LEMANNIS
Qualis ſolet paludibus
CALVINI ſoboles nocens;
Sordida ſed dulces odere animalia Lymphas:
Amore fœcis patriæ
Nativum repetunt Lacum.
Scilicet innatum vitio, culpáque parentum
Adulterari eſt Hæreſi,
Falli, & fallere cæteros:
Divinam obtorto Scripturam ducere collo
Primis ſciunt cunabulis,
Cùm vix vivere noverint.
Canitiem lacerare PATRUM,Fideiq; volumen
Summa eſt Voluptas perfidis,
Addunt, & mutilant Librum:
Totos detruncant ſenſus, & dogmata,cêu,qui
Caſtrare nôrunt caſeum,
Ex omni reſecant loco.
Omnibus eſt licitus lippis, tonſoribus uſus,
Seu cerdo, ſive ſutor eſt,
Omnes Biblia perlegunt.
Si quiſquam invadi ſe ſenſerit impete mẽtis,
Pro concione diſſerit,
Seu vir, ſeu mulier ſiet.
Spiritus intùs agit,neſcitur, an albus, an ater.
An corvus, an columba ſit,
Quæratur ſapiens Noë:

Quamvis

Quamvis hic niveũ, nigrũ ſed proferat alter,
Dicunt eundem Spiritum,
Qui linguam duplicem regat;
Mentiríq; negant, quamvis pugnantia dicat,
Effata ſunt oracula,
Seu ſint candida, ſeu nigra.
Quid mirum eſt, turbari undas, ubi publicus
Et Fons apertus omnibus (uſus,
Communi placito patet?
Limpida ſed ROMAE ſaliunt myſteria Legis,
SIGNATUS eſt FONS BIBLICUS,
Illimis retinens aquæ.
Subula ab hoc puteo lõgè eſt, vulgúſq; profa-
Acúſque non admittitur. (num,
Haurit ſola Scientia.

ODE XXI.

Nullam in hoc Mundo felicitatem veram inveniri in ullo voluptatum, ac deliciarum genere, ne quidem in Coronis.

FElicitati Mundus hic prodeſt nihil,
Germana ſupra nos micat.
Palatiorum auguſta majeſtas diu
Huc uſque nunquam perſtitit.
Familia multa ſplendidam ad pompam facit.
Satellites promiſcui

Exhau-

Exhauriendis mille mandatis pares
    Tandem Monarchas devorant,
Nihil relinquunt, præter obſequia, Duci,
    Centúmque curvos poplites:
Erodit ædes interim, abſumit penum
    Grex aulicorum Murium:
Numera atrienſes, adde pincernas, cocos;
    Aulæ coquunt, ſibi vorant:
Venantium viridem tribum numera, canum
    Subinde totum exercitum;
Quid ora proſunt tanta, niſi ut amplam famẽ
    Paſcendam in Aulas afferant?
Metalla (ſudor pauperum, vulgi labor)
    Clepace carpuntur manu,
Congenita ſceptris reliqua peſtis ſenſuum
    Diurna, non eſt annua;
Inſtructa dapibus menſa, fœcundi ſcyphi
    Nodis rigentes aureis,
Pellax venenum lubricæ formæ diem
    Vix irrigant dulcedine.
Non iſta durant longiùs. curæ manent
    Non hoſpites, ſed incolæ.
O quàm ſuperba ſceptra mentiri ſolent
    Beatitatem frivolam!
Felix, recurvâ valle qui novit ſitim
    Undante venâ ſiſtere!
Pincerna fraus eſt; Aulico quoties throno
    Gemmâ propinat toxicum?
Felix Colonus ruris, & Mopſus, cui
    Dat ripa frondens lectulum,

Modi-

Modicúſque voti quiſquis aſcenſum timet,
Sortémque præſagit malam.
Confeſſa res eſt. oſtro in OEbalio torum
Curæ moleſtæ conſtruunt:
Obvia ſopori ſpectra quid memorem? tenax
Obrepit oſtro Phantaſus.
Humiles myricæ, vile dumorum genus
Securiùs repunt ſolo,
Intonſa quàm ſtet Cedrus in faſtigio
Jove invidente vapulans.
Licet ad honores urna te Sortis vocet,
Ne fide. Sors fallit procos.
Quod es, peroptes eſſe. qui ſcandit, cadit
Obnoxius vertigini.
Humilis agreſtes vallis abſcondit caſas
Ne fulminentur nubibus.
Leviora levius Numen iratum ferit,
Et molliore brachio.
Ex adipe luxûs criminum pinguiſſima,
Vitæque naſcuntur probra:
Vagina lex eſt, delitet ferro Themis,
Morúmque candor exulat:
Fucata larvas induens injuria
Incumbit innocentibus,
ATREI furores, ac Thyeſtæas dapes
Phœbi celebratas fugâ,
Et mille gladij parricidæ funera
Hæc una mater parturit:
Nam quot venenis menſa conditis ſcatet,
[illegible] gemma propinet Stygem?

An non

An non honoris futile hoc nomen rear,
Venale tot periculis?
Hæc damna vitat, quiſquis involvens ſuâ
Se Sorte non altùm ſapit.

ODE XXII.

Curioſitas Humana, rerum licet præclararum inventrix, ſæpe tamen noxia.

REmm nos avidos parens
In Mundum genuit. mobilis obtigit
Prurigo; atque novis ſtudens
Factis eſuries. Experientiâ
Quævis diſcutimus duce:
Hæc miſit rapidas per pelagus rates,
Et vela aëre turgida;
Magnetem hæc reperit, qui cupido Polum
Semper reſpicit indice,
Et nunquam ſaturum circumagit ſtylum:
Hæc vertigine mobili
Rivalem lapidem non requieſcere
Miro ludibrio ſinit;
Dum vicina procum lamina deperit
Ad gemmam migrat obviam;
Tam flagrat cupido uxorius oſculo
Naturæ genius vagæ,
Ut ſeſe lapidi jungat Amaſio.

Hæc

Hæc aurum docuit nocens
   Vix non de ſtygijs ſedibus erui;
Hæc ars peſſima ſæculi,
   Et væcors avidi cura peculij
Per confinia Tartari
   Reptavit, rutilis inſidians lucris
Ad terræ patrimonium.
   Hæc ars in tenuis ſtamina velleris
Aurum flexile mollijt,
   Aptavítque togis fila metallina.
Hæc ars Simia montium
   Struxit magnificâ fronte Palatia,
Moles molibus additas
   Eduxit liquidis nubibus obvias
Supra ipſos Hyadum lares,
   Arctoæque nivis, Regnáque fulminum.
Inventrix cerebri probi
   Hæc mentem ingenuis dotibus arduam
Accendit Sapientiâ.
   Multò plura ſciunt ultima ſæcula
Inconceſſa prioribus,
   Quæ rerum docuit credula nos fames
Sero tempore promptior.
   Ætas ingenio poſterior valet,
Et præſtat novitatibus.
   Vix eſt prodigijs finis, & artibus.
Hæc laudabilis eſt ſitis,
   Quæ ſe ſe ſtudijs conſecrat. at nocens
Illa eſt, quæ vitijs favet,
   Lenonéſque oculos commodat ad ſcelus.

Do

Dos hæc propria feminis
  Ipſis ſæpe viris auſa negotia eſt,
Magnis magna faceſſere.
  Sed nec ſola Lothis prodigio ſalis
Delicto in ſpecimen ſtetit:
  Hoc ipſum vitium pertinet ad Viros
Scrutandi cupidos novi.
  Et quantis nocuit (dicite vos proci)
Vultus lubricus aſpici?
  Nictus femineis unicus in genis
Defixus peperit Stygem.
  Si non præcipiti DINA cupidine
Exîſſet patriâ domo,
  Impuri meretrix non ſpolium Viri
Incorrupta ſuperſtitem
  Servâſſet viridi corpore VIRGINEM.

ODE XXIII.

Omnis CREATA Mortalis Voluptas amatoribus ſuis infida, ac noxia.

QUæ blandiente faſcinata Fortunâ
Mancipia vulgus ſuſpicit, nolo Lyrâ
  Commendare meâ, nulla celeuſmata
    Plausúſque nullos accinam.
Fortuna fallit impios. monendi ſunt.
Ridet voluptas prodigè pullos ſuos:

Inclusos caveæ farcit, at ebrios
Culero & macello porrigit.
Dapes ut inter regias cocus gestit
Placuisse cernens fercula, & barbam fricat,
Mox se præcipuo proripit è loco
Contentus obscuro angulo:
Sic se voluptas profuga, dum calet ludus,
Paulùm videndam præbet, & cerni sinit,
Mox præfracta sui non dare copiam
Vento fugit pernicior:
Hodie parata est. quære cras. domi non est;
Noctu profecta perfido effugiens pede
Delusit solitis fraudibus hospitem,
Marsupium secum tulit:
Furtiva res est, serico dolus filo,
Ut vix notetur; finis at furem probat.
Formosas referens cêu speculum genas,
Levi quod aurâ saucium
Frustratur oculos, ne typo invido pergant,
Mactátq; formam, maximè cùm frons placet;
Sic quicquid bibulis pendulus auribus
Decerpis ex suavi sono,
Aut delicatis naribus croci quicquid
Hinc inde in hortis colligis, furto patet,
Stringíque indocilis sollicitat fugam
Omnis Voluptas corporum;
Post se relinquit conscientiam læsam,
Imóque fœces dolio, vermes, Hydros,
Et Milvos rabidi mente Promethei,
Qui facta morsu refricent.

ODE XXIV.

ODE XXIV.

PARÆNESIS

Ad Juvenem Impudicum, ut sibi consulat.

PRojecte Juvenis, sana meditari incipe,
Tandémque tot damnis sape.
Quot sonte flagrant fortè meliores Styge,
Quàm tu procorum pessime?
Corda Venus Astris nata collidit solo,
Omnémque virtutem rapit;
Animi vigorem, & corporis vires terit
Latrocinatrix mentium.
Loquuntur Orbis omnia hospitalia,
Et ipse morbus Cyprius
Gliscens ubique Gentium carbunculo
Passim per Orbem cognito.
Venus serenum spondet. at nubes dabit
Mentita nundinatrix:
Præfert Rosarum purpuram: spinas cave.
Pellax voluptas decipit,
Ubi grata mella fudit; ibi, serò licet,
Reperta sunt absinthia.
Fidis juventæ? falleris. dos est brevis,
Debetur illa Numini.
Non sic ad Euri turbinem exspirant Rosæ,
Aut ungue messa Lilia:

Non Iris adeò pallet, adventu aureo
Solis virilis saucia:
Non sylva, qualem vernus investit tepor,
Sic à pruinis perditur,
Sicut juventam perdit hostilis vapor
Egressus à spurca Dea.
Generosa Juvenum studia pessundat Venus,
Curvátque ad ima spiritum.
Age nunc ferocis indolis væcors proce,
Bonúmque mendax arripe!
Meliore mentis parte tumulatus fimo es,
Lutóque porcus volveris.
Non te juventæ nomen eripiet neci.
Addicta es Orco Victima.
Speras inanè. quisquis est fato suo
Maturus, illum dic senem.

ODE XXV.

PALINODIA

Ejusdem Juvenis ad meliora Conversi.

Pœnitet vitæ: malè collocati
Pœnitet Veris, viridísque succi.
Non voluptati famulentur anni:
Ne Venerem quidem
Deînceps nomine noverim:
Ne meas

Ne meas fauces peregrina ditet
Præda venatu, ſpoliúmque Ponti.
Impudens quicquid ſceleris palatus
Antè petiverat,
Contentæ dederam gulæ;
Scena finita eſt modò lauta. non ſum,
Qui fui leno, nec ero deinceps,
Ne reum forſan citet ad tribunal
Horribilis tuba,
Stricti Curia Judicis.
Abdico pravos ſocios, malorum
Principem cauſam, digitóſque longos
Perditi luſûs famulos. aduncis
Vivere non placet
Poſthàc Vulturis unguibus:
Cypridis jam non pharetratus infans
Tanget obſceno mea membra telo:
Quicquid arridens oculos ſequaces
Allicit ad ſcelus,
Spernam præcipiti fugâ.
O! cavæ ſi cuî pateant ſalacis
Pectoris crates! quibus hîc caminis
Æſtuant flammæ! ſatis unda nulla eſt,
Sed lacrymis opus,
Quæ turpē exanimentRogum:
Pertinax ito ſcelerum catena!
Nil mihi tecum eſt. ego continenter
Limpido vivam ſapiens aquale;
Gaudia diluam,
Atque hauſtum vitio Merum:

Vivitur parvo bene. cuî modesto
Splendet in mensa macies salino,
Ille ter felix, quia gastrimargi
Criminis integer
Cœpit vivere Nestorem.

ODE XXVI.

AD ILLUSTREM DOMINUM ANGELINUM CRESCENTIUM.

Vt nimiam Domûs Pompam, ac Luxum mitiget, facultatésque meliùs impendat Majorum exemplo.

Est sua sobrietas quoque viris ditissimis,
Nobilésque ornat moderamen ædes:
Ubique luxus displicet.
Peccare minimo non decet, nec maximo.
Auream quisquis mediocritatem
Servare novit, Magnus est.
Laudo ANGELINUM: dives est: & gratulor
Optimo partam titulo monetam,
At fama dicit prodigum:
Profundit aurum, folia cêu nata arbore:
Quicquid ad pompam facit, ære curat,
Aulámque ducit splendidam:
Transit per ædes divites dives Tagus:
Indiget nemo: cumulantur omnes:
Pecuniarum est affatim.

Maris

Maris ANGELINUS instar est domi suæ:
Amnium Pontus recipit tributum,
Fœnúsque rursus dividit.
Viden penates. quanta famulorum manus
Insidet nido pigra liberali,
Nulli labori dedita:
Ut otiosos halitus servi trahant,
Atque fornaci vigilent propinqui,
Vernis datur stipendium;
Vorántque gratis tota lixarum agmina,
Cùm nec ad pompam faciant, nec aulam
Tot feriata corpora.
Quanta abligurit liminis tritor cliens?
Omnibus semper patet ampla porta,
Manúsque sæpe argentea.
Quantum Architecti prodigæ gazæ vorant,
Qui domum incrustant niveis parergis,
Palatiúmque fabricant?
Quid Phrygia pompa vestium, & Serũ manus
Sumptuum tandem sibi postulabit,
Et quicquid argutæ est acûs?
Conviviorum pinguium quid vastitas,
Et peregrino pretiosa mappa
Plerumque strata litore?
Quid grex equorũ fortium, quid grex canum
Integro censûs populantur anno?
Quid docta Falconum schola?
Tot inter hominũ capita, & ungues perfidos
Quid perit furto? sibi nemo nequam
Occasiones negligit.

Quid Histrionum,& simile Mimorum genus,
Orbium linctor Parasitus aufert,
Et Morionum Natio?
Hæc mente versans, territus sum sumptibus,
Et metallorum locuplete nummo.
Cavere cœpi ærario:
Monere statui splendidam pompam domûs,
Ut remittendam dominus profundo
Consideraret pectore.
Perditio nónne est,quicquid est supra statum?
Abdica, quicquid nimium videtur
Ex otioso syrmate.
Caudata non hæc aula Cœlitibus placet,
Nec vaga appendix petulante plebe,
Servúmque splendoris pecus.
Si quid redundat æris, id miseri ferant.
Tende pupillis, viduísque dextram:
Alantur inde pauperes;
Orna Sacella, Templa, Sacros Ordines
Ære porrecto refove, vel aras
DEO dicandas instrue.
Sic fœnerari cum DEO, & Superis placet,
Divites illi satis, & potentes
Sunt, ut rependant Mutuum.

ODE XXVII.

ODE XXVII.

Eundem ILLVSTREM DOMINVM ad Liberales Eleemosynas invitat.

QUamvis coloni mortuos credant agros
Pessundatos à frigore;
Quando sata niveâ tecta sub lana rigent,
Crystallinóque frigore,
Mox tamen, ut annus melior afflatur Notis,
Et Vernus exardet focus,
Avida Menalcæ vota luxurians beat
Flaventibus Ceres comis;
Sic tu perîsse crede non illam stipem,
Quam pauperi largitus es:
Revirebit olim nummus, atque unus feret
Plures aristas aureas:
Codro quod aurum dederis, arboribus tibi
Recrescet amplo fœnore.
Inopes fove: Natura consortes dedit
Communione sanguinis.
Abolla quamvis lacera tergo squaleat
Injecta nudo corpori,
Tamen sub illa imago splendescit DEI
Perinde, quam sub purpura.
Dando recondes posthumæ ditissimum
Æternitati ærarium.
An interire dona locupletum putas,
Queîs pauperes ungunt casas?

Nusquam in tabernis Cambij, vel nundinis
Usura quæstuosior;
Non Quinq; tantùm, mille pro centũ accipis:
Jactura transit in lucrum.
Solutionis terminus veniet brevì,
Quo debitor reddet DEUS.
Illa at moneta sola post hyemem redit,
Quæ seminatur pauperi;
Hæc una, mortis falce quæ messa est, Ceres
Cœli subibit horreum.
Ergo profusâ dona disperti manu
In pauperum gurgustia;
Ideò, ANGELINE, divitem vult te DEUS,
Ut sis DEI Vicarius;
Dat is per homines; est dare ipsi Proprium,
Nec vult perire quempiam.
Orbo hinc monetâ suffice infanti patrem,
Pecuniáque matrem eme,
Succurre viduis. pessimum prolis statum
Nôsti, Marito mortuo;
Occasiones obvias prensa stipe,
Cœlúmque donis occupa:
Reddet fidelis Sponsor actutum DEUS,
Quod erogâsti Tytiro.
Si pestilenti ventilans flabro luem
Rubigo spicas usserit,
Tibi fluctuabunt fronte formosâ sata,
Prægnante culmi vertice:
Quin verberata grandine, aut nimbis seges
Tibi resurget altior:

Quin,

Quin, per fragores fulminũ, & Mundi Rogos
Cùm judicandus Orbis est,
Humeris ferêre pauperum in Regum thronũ,
Terræ ruinis altior.

ODE XXVIII.

Magnas Heroum Virtutes paucis eorum nævis obscurari, factáque ipsorum ab obviis notari.

Si muco careant lumina, clara sunt,
Obscura, si non munxeris:
Si lychnus solito stamine creverit,
Splendor laborat igneus:
Sic fumum minimum maxima contrahunt
Mundóque nota Culmina,
Si tantùm modico pulvere nominis
Splendorem obumbrant gloriæ.
Non est absque suis Phœbus Eclypsibus,
Nævísque Luna spargitur:
Sic vasti Imperij Lux Theodosius
Partæ trophæa Purpuræ
Corrupit gladio, quo petijt sui
Furoris impos Thessalos:
Ex Afris domitis sic Belisarius
Cum Rege captivo redux
Convictus sceleris, perfidiæ reus
Prodegit immensum decus.

Summi plùs oculis, quàm tenues, patent.
Quid aula peccet, quæritur.
Si dignum rutilo nil agat æthere,
Famæque cantandum tubâ
Mopsus stramineis deses in angulis,
Nemo movetur otio,
Cùm non sit placidis natus honoribus
De gente vili caudicum.
At Dux suave putat sanguine posthumam
Vitam pacisci Nominis.
Queîs Mavors pretium, queîs Sapientia
Orbis favores adijcit,
Illi conspicuo lumine fulgurent,
Viréntque nubes gloriæ.
Si te vel minimâ pollueris notâ,
Vanescit extinctum decus.
Magni quicquid agunt Germina Stemmatis,
Ornare ceras cogitant:
Abiecti genij mens pede claudicans
Nil de futuro cogitat,
Præsenti invigilat funeris immemor,
Cêu fungus Orbis unicus.
O quantum solidæ gens sapientiæ,
Vulgúsque inane dissident!

ODE XXIX.

ODE XXIX.

Scientiam nostris temporibus exiguo in pretio esse, non minimo Boni Publici detrimento.

AUrum divitibus Stemma dat, & genus,
Et formam, & titulos, non Sapientiam:
Non Vis hæc emitur stipe,
Nec plena loculis volà:
Non docti subitò nascimur, aut sumus;
Hæredem sobolem scribere non potest
Doctrinæ moriens pater,
Nec legare sciens caput.
Omni Mercurium de trabe sculpere
Non Natura parens, nec soror ars solet,
Si nolis proprio jugo
Te submittere Palladi,
Nec concham docilem pandere Literis,
Ut formes docili rore scientiam,
Persistes rudis Embrio,
Nunquam conficies Virum.
Nux est, difficili clusa ligamine
Ars omnis, facili nec patet ostio.
Hinc cernes sapientiam
Protritam populi pede.
MUSAE ludibrio sunt propè Rusticis;
Sartores ab acu mutua scommata
In do-

In doctos jaciunt: suis
Cerdones crepidis furunt.
Multis esuriens Pallas eget domi;
Hinc prostat lepido fabula risui.
Quid tum? sunt faciles joci
Scurris, insipidi sales.
Non ultra Patriæ mœnia plebs sapit,
Plus pollet manibus, quàm rationibus;
Ut vim viribus arceat,
Muris, non animis, studet.
Cùm fortè obsidio civibus ingruit,
Hoc unum satagunt, ut sua protegant:
Pars stipans gravidos tubos
Excussis tonat ignibus:
Pars muros fragiles fulmine glandium
Restaurat luteo glutine, pars domos:
Pars è turribus imminens
Plumbo fulgurat alite.
Nemo consilium suggerit utile,
Nullúsque ingenui pectoris est Sophus,
Qui cordis reserans opes
Linguâ provideat loco,
Hostésque attonitos eloquio potens
Majestate sui terreat ingenî,
Arísque incolumi DEO,
Servet consilio focos.
Tam vilis pretij est merx sapientiæ,
Ut pauci hanc coëmant sumptibus ingenî;
Cùm plus polleat hic vigor,
Quàm nervi, latera, aut manus.
Totum

Totum delicijs tempus equeſtribus
Et non immerito prodigitur lucro;
At quid te volucri fugâ
Corpus flexile juverit,
Si mutam ſtatuam ſtraminei Jovis,
Aut geſtu referas marmoreum DEUM,
Quando Concilium jubet,
Ut mœſtam Patriam juves?

ODE XXX.

Conſilium malum, Conſultori peſſimum.

Numinis arcanũ eſt, homines punire ſuiſmet,
Inferre reliquis quæ ſolent vafri, malis:
Sic, quiſquis ſcrobib⁹ graſſari amat inſidioſis,
Casúmque ſocijs lubrico vitro parat,
Illē cadet primus, pedibúſq; inverſus, in Aſtra
Turbata Cœlo conſeret veſtigia:
Ille ſalutabit foveam, primúſque cavernam
Alijs paratam fabulæ intrabit Lupus.
Accēſo ære docens Phalaris candeſcere Vaccã
Primus ſubivit mugiens flammis pecus:
Qui primus pyrio detexit pulvere ſulphur,
Fuſas metallo machinas, æris tubos,
Dicitur hâc ipsâ ingenium mercede luiſſe
Excuſſus, inſtar plumbei ex ſclopo globi.
Sic Pharao, Hebræis quod ſtruxerat, æquore
Bibit infidele pēdulo ſucco mare. (merſus

Fit be-

Fit bene, quòd carpat fructus consultor iniqui
 Consilij, & ipsum feriat Auctorem scelus.
Qui non præceptâ vaginâ proripit ensem,
 Si pereat ense, præmium facti capit.
Talio conveniens meritò ferit inventorem.
 Auctorem in ipsum jure cudatur faba.

ODE XXXI.

D. FRANCISCVS BORGIAS totâ nocte ab improvido Bustamantio itineris socio per imprudentiam consputus.

NOctu, quietis Luna cùm vehitur equis,
Ut furta promat menstrua innúbi globo,
Redeunte sensim proximo ex undis die,
Stat præparatus rore cœlesti Polus
Inebriandis crapulam plorans agris.
Terra universa prodigis circùm madet
Potata stillis. Talis & quondam fuit
Perplutus imbre BORGIA, & tussim bibit
Patiens senilem, cêu pavimentum foret.
 Egurgitante pectore ægrotans spuit
Fœces catarrhi socius, & massam putrem,
Integráque stomachi vellera ingenti lacu:
Pinguia cadebant sputa cum strepitu gravi:
Dabatur Echo modica vocali loco,

Impa-

Impacta quãdo phlegmata in murũ, aut genas
Visco cadebant sorbili, cêu pix forent.
Occasione lætus oblatâ sibi
In se resorpsit sordidi ructûs gulam,
Pulmonis atram spongiam, excepit graves
Vultu renidens ostreas Dux accubans:
Insuxit imbrem, viscerum pinguem phthisin,
Crudúmque lixam delicatus pertulit.
Paucæ in pariete pendulo succo glumæ
Hærere visæ, reliquus in frontem favus
Volatico errans hepate infusus diu.
Ubi manè DIVUS prodijt lautis genis,
Splendebat icta lubrico gypso coma,
Totáque pinguem fronte pulmonem tulit
Fixum tenaci glutine unctus BORGIAS.
Crustata facies lurido micuit typo.
Subrisit altùm, supplicem Comitem videns:
Quin imò luctum siste, nec veniam pete,
(Ait roganti) dignior toto locus
Erat hypocausto nullus, & tussim tuam
Magis decens, hâc fronte: formosas mihi,
Placitásque Superis tabe pinxisti genas.
Ignoro DIVI prandium, at noctu scio
Quid sit comestum. hæc cœna FRANCISCI (fuit,
Et solita mensa, devorare GRANDIA.

ODE XXXII.

ODE XXXII.

S. FRANCISCVS XAVERIVS Venenatum Militis Vlcus exugens novæ & inauditæ crapulæ Magister.

Quid juvat obesum rancidi ventris globum
Inflare mappâ divite, & plaustris meri
Lavare spissum guttur? an nati sumus,
Ut decoquamus Orbem, & infertâ gulâ
Circumferamus tympanum, & collum gruis?
XAVERIUS odit carneas turres macrâ
Vix pelle tectus. sensibus luxûs nihil
Censor severus præbuit. blandæ cuti
Nil obsecutus carnifex ferro ac flagro
Vastavit hostem. potiùs is sordes amans
Malè delicatam putridi Cancri luem
Non nauseante spiritu victor bibit.
Propinat haustum singulis, quotquot Scyphis
In sanitatem bibere Magnatum solent.
Esse hîc bibonem juverit. danda est salus
Non jam valenti CAESARI, non Principi,
CHRISTO sed ipsi debili: Ægrotus jacet.
Certate vitris. crapula hæc Superis placet.

ODE XXXIII.

AD CHRISTUM RECENS NATUM, DEI AC MARIÆ FILIUM.

IRONICON.

STROPHA.

ERgóne, CHRISTE, mollibus
In ſtragulis quieſcis?
Dormis cycnæo vellere,
Amabilique plumâ,
Eburneóque ſomnias
Quietus in grabato?
Semper putabam, ruſtico
Dormire te mapali:
Poſthàc in Aulis Principum,
Et Regio cubili,
Inter tapetes aureos,
Bombicináſque mappas
Quærendus es. in ſordido
Non inveniris antro,
Ardente dormis purpurâ,
Et ſerico roſeto.

AN-

ANTISTROPHA,

Ignoſce, CHRISTE. corrigo
Linguæ dicacitatem,
Erroneúmque punio
Sententiæ furorem.
Rigere lectum ſentibus,
Inhoſpitóqne fœno,
Araneis textricibus
Caduca cerno vela;
Admiror artem byſſinam
In angulis frequentem.
Hic ille lectus floridus
Eſt, ſæviente brumâ.
Quis molliorem culcitram
Non ſuggerat cubanti?
Friget, treménſque palpitat
Ferociente vento.
Pergéſne porro florido
Cubare, CHRISTE, lecto?

ODE XXXIV.

Vox Impiorum: Coronemus nos Roſis.
Sap. 2.

AUdin Beatitatis
Pullos adulterinæ
De Sorte pippientes:
Vivamus atque edamus!
Cras fortè deſinemus.
Eamus undulati,

Roſiſ-

Rosísque purpurati
Smaragdinos per agros,
Per cespitum virores,
Et graminum colores,
Sylvásque delicatas,
Hortósque præparatos,
Per frondeos corymbos,
Per floreos penates,
Fragrante Populeto,
Spirante Lilieto.
Ibi ramus hospitalis
Laqueare format amplum,
Sociásque cogit umbras:
Ibi ventus eloquenti
Regione dat susurrum.
Ibi prata Vere molli
Vitulantibus procellis,
Salientibúsque rivis
Vitreo fluunt liquore,
Adamantinóque succo.
Ibi Vere crispa Tellus
Holoserico tapete,
Opibus superba ruris
Sitientibus labellis,
Statione discolore
Tulipas alit pudicas.
Hîc Sylva dulcè garrit
Facunda mille linguis,
Loquacibúsque nidis.
Macti gulâ Sodales!

Hoc herbido tapete
Triclinium ſtruamus,
Convivium paremus.
Hîc profluant Falernis
Expreſſa vina prœlis,
Quêis naufragetur imo
Demerſa cura fundo.
Hîc pruriente linguâ,
Sitíque bulliente
Præclara blandulorum
Fomenta gaudiorum
Libemus, & jocemur!
Procul hinc, procul faceſſant
Lacrymæ, merúſque planctus.
Furiæ procul voraces,
Animi moleſta ſpina,
Animæ peroſa muſca,
Gemitúſque ſcrupulúſque
(Soboles profana ditis)
Procul hinc, procul recedant.
Totus DEI Polus ſit,
Sed tota terra noſtra!
Cœlo DEUS fruatur.
Hoc Orbe nos fruamur.
Curáque vellicante
Sub Maſſico ſepultâ
Edamus, & bibamus.
Vivamus, & bibamus!

ODE XXXV.

ODE XXXV.

CARMEN SÆCULARE

Cùm AUCTOR primum collocatæ Sedis AUGUSTÆ VINDELICORUM sæculum, & annum centesimum ibidem in SOCIETATIS JESU Collegio cum aliis celebrâsset. ANNO M.DC.LIX.

MAgne Regnorum DEUS, Urbiúmque,
Et Coronarum dator, atque custos,
Principum Rector, cuî paret Orbis
Duplice pomo,
Providis alto quoties Olympo
Respicis terras oculis caduci
Punctuli tristes miseratus iras,
Prœlia, lites,
Et frequentatis stimulata bellis
Corda miraris, scelerúmque monstra
Sparsa per plures. adeò maligno
Vivimus Orbe.
Hæreses quot sint, furiæque, nôsti
Sæculo sero, quot ubique fracto
Liberi errores dominentur Orco,
Quámque sequaci
Fraus inhaletur facilis palato.
His malis pridem cupiens mederi,
Arbiter

Non
Sunt
Obvius
Saepius
Vincitur
Quot Ce
Plurimo
Ac quod
Ipse con

erosus annis
ix notato,
esidésque centum
annos:
s videri
erísque nævi
micante
e perstat.
canc! sumptuoso
onis arcem
fundo,
messe:
Musas
uêre sedem,
locârunt
colle.
dicina facta est
eruditam
feriatus,
a plebis.
ona perpetrata?
scelera impedita
o, frequente
ibus anno?
reducti
liùs, priore
queóque rupto
ta reversa est
oles novercæ?
negandam

Arbiter Mundi, nova destinâsti
Arma, Ducémque,
Qui capessito laniaret ense
Hæreses omnes. sequitur vocantem
Strenuus forti legione Miles,
Explicat alas,
Mentis infractæ Pugiles in Urbes
Vî lacessitas, sceleri propinquas
Marte transponit subitô, adfuturus
Proditioni,
Ut retardato miserûm furore
Sisteret mentes profugas, & atrâ
Fraude detectâ, fidei doceret
Fulcra tenere.
Inter has Urbes sibi fœderatas
Eminet tota ditione Princeps,
Nomen AUGUSTÆ merita, imperantis
Gloria Lauri,
Quæ probum Mater probior recenti
Ordini pandens gremium, fideli
Numinis passim titubante cultu,
Urbe recepit
Utiles Cives Socios JESU,
Infatigato solidos labore,
Omnium horarum Medicos salutis
Nocte diéque,
Quô secuturas Fidei ruinas
Nucleo firmans hominum, nocentes
Tolleret pronâ novitate mores,
Funera legum.

Nesto-

Neſtorem primum generoſus annis
Ordo centenis, ſene vix notato,
Vixit AUGUSTAE, reſidéſque centum
Exiget annos:
Fronte formosâ juvenis videri
Nil adhuc rugæ, veteríſque nævi
Ipſe contraxit, facie micante
Virgine perſtat.
Muſa FUGGEROS cane! ſumptuoſo
Ære qui primam ſtationis arcem
Tam ſalutari poſuere fundo,
Ubere meſſe:
Exules illi revocare Muſas
Providi, dignam ſtatuêre ſedem,
Atque Parnaſſi docili locârunt
Atria colle.
Quanta doctrinis medicina facta eſt
Obviæ fraudi? timet eruditam
Palladem fucus malè feriatus,
Fabula plebis.
Quanta ſunt iſthîc bona perpetrata?
Quanta ſunt paſſim ſcelera impedita
Urbe fœcundâ populo, frequente
Mercibus anno?
In fide lapſi quoties reducti
Mente ſenſerunt meliùs, priore
Fraude perſpectâ, laqueóque rupto
Quanta reverſa eſt
In ſinum Matris ſoboles novercæ?
Lubricâ ſtantes glacie negandam

Arbiter Mundi, nova destinâsti
Arma, Ducémque,
Qui capessito laniaret ense
Hæreses omnes. sequitur vocantem
Strenuus forti legione Miles,
Explicat alas,
Mentis infractæ Pugiles in Urbes
Vî lacessitas, sceleri propinquas
Marte transponit subitô, adfuturus
Proditioni,
Ut retardato miserûm furore
Sisteret mentes profugas, & atrâ
Fraude detectâ, fidei doceret
Fulcra tenere.
Inter has Urbes sibi fœderatas
Eminet tota ditione Princeps,
Nomen AUGUSTÆ merita, imperantis
Gloria Lauri,
Quæ probum Mater probior recenti
Ordini pandens gremium, fideli
Numinis passim titubante cultu,
Urbe recepit
Utiles Cives Socios JESU,
Infatigato solidos labore,
Omnium horarum Medicos salutis
Nocte diéque,
Quô secuturas Fidei ruinas
Nucleo firmans hominum, nocentes
Tolleret pronâ novitate mores,
Funera legum.

Nesto-

Nestorem primum generosus annis
Ordo centenis, sene vix notato,
Vixit AUGUSTAE, residésque centum
Exiget annos:
Fronte formosâ juvenis videri
Nil adhuc rugæ, veterísque nævi
Ipse contraxit, facie micante
Virgine perstat.
Musa FUGGEROS cane! sumptuoso
Ære qui primam stationis arcem
Tam salutari posuere fundo,
Ubere messe:
Exules illi revocare Musas
Providi, dignam statuêre sedem,
Atque Parnassi docili locârunt
Atria colle.
Quanta doctrinis medicina facta est
Obviæ fraudi? timet eruditam
Palladem fucus malè feriatus,
Fabula plebis.
Quanta sunt isthìc bona perpetrata?
Quanta sunt passim scelera impedita
Urbe fœcundâ populo, frequente
Mercibus anno?
In fide lapsi quoties reducti
Mente senserunt meliùs, priore
Fraude perspectâ, laqueóque rupto
Quanta reversa est
In sinum Matris soboles novercæ?
Lubricâ stantes glacie negandam

Arbiter Mundi, nova destinâsti
Arma, Ducémque,
Qui capessito laniaret ense
Hæreses omnes. sequitur vocantem
Strenuus forti legione Miles,
Explicat alas,
Mentis infractæ Pugiles in Urbes
Vî lacessitas, sceleri propinquas
Marte transponit subitô, adfuturus
Proditioni,
Ut retardato miserûm furore
Sisteret mentes profugas, & atrâ
Fraude detectâ, fidei doceret
Fulcra tenere.
Inter has Urbes sibi fœderatas
Eminet tota ditione Princeps,
Nomen AUGUSTÆ merita, imperantis
Gloria Lauri,
Quæ probum Mater probior recenti
Ordini pandens gremium, fideli
Numinis passim titubante cultu,
Urbe recepit
Utiles Cives Socios JESU,
Infatigato solidos labore,
Omnium horarum Medicos salutis
Nocte diéque,
Quô secuturas Fidei ruinas
Nucleo firmans hominum, nocentes
Tolleret pronâ novitate mores,
Funera legum.

Nesto-

Nestorem primum generosus annis
Ordo centenis, sene vix notato,
Vixit AUGUSTAE, residésque centum
Exiget annos:
Fronte formosâ juvenis videri
Nil adhuc rugæ, veterísque nævi
Ipse contraxit, facie micante
Virgine perstat.
Musa FUGGEROS cane! sumptuoso
Ære qui primam stationis arcem
Tam salutari posuere fundo,
Ubere messe:
Exules illi revocare Musas
Providi, dignam statuêre sedem,
Atque Parnassi docili locârunt
Atria colle.
Quanta doctrinis medicina facta est
Obviæ fraudi? timet eruditam
Palladem fucus malè feriatus,
Fabula plebis.
Quanta sunt isthîc bona perpetrata?
Quanta sunt passim scelera impedita
Urbe fœcundâ populo, frequente
Mercibus anno?
In fide lapsi quoties reducti
Mente senserunt meliùs, priore
Fraude perspectâ, laqueóque rupto
Quanta reversa est
In sinum Matris soboles novercæ?
Lubricâ stantes glacie negandam

 Quot

Arbiter Mundi, nova destinâsti
Arma, Ducémque,
Qui capessito laniaret ense
Hæreses omnes. sequitur vocantem
Strenuus forti legione Miles,
Explicat alas,
Mentis infractæ Pugiles in Urbes
Vî lacessitas, sceleri propinquas
Marte transponit subitô, adfuturus
Proditioni,
Ut retardato miserûm furore
Sisteret mentes profugas, & atrâ
Fraude detectâ, fidei doceret
Fulcra tenere.
Inter has Urbes sibi fœderatas
Eminet tota ditione Princeps,
Nomen AUGUSTÆ merita, imperantis
Gloria Lauri,
Quæ probum Mater probior recenti
Ordini pandens gremium, fideli
Numinis passim titubante cultu,
Urbe recepit
Utiles Cives Socios JESU,
Infatigato solidos labore,
Omnium horarum Medicos salutis
Nocte diéque,
Quô secuturas Fidei ruinas
Nucleo firmans hominum, nocentes
Tolleret pronâ novitate mores,
Funera legum.

Nesto-

Neſtorem primum generoſus annis
Ordo centenis, ſene vix notato,
Vixit AUGUSTAE, reſidéſque centum
Exiget annos:
Fronte formosâ juvenis videri
Nil adhuc rugæ, veteríſque nævi
Ipſe contraxit, facie micante
Virgine perſtat.
Muſa FUGGEROS cane! ſumptuoſo
Ære qui primam ſtationis arcem
Tam ſalutari poſuere fundo,
Ubere meſſe:
Exules illi revocare Muſas
Providi, dignam ſtatuêre ſedem,
Atque Parnaſſi docili locârunt
Atria colle.
Quanta doctrinis medicina facta eſt
Obviæ fraudi? timet eruditam
Palladem fucus malè feriatus,
Fabula plebis.
Quanta ſunt iſthîc bona perpetrata?
Quanta ſunt paſſim ſcelera impedita
Urbe fœcundâ populo, frequente
Mercibus anno?
In fide lapſi quoties reducti
Mente ſenſerunt meliùs, priore
Fraude perſpectâ, laqueóque rupto
Quanta reverſa eſt
In ſinum Matris ſoboles novercæ?
Lubricâ ſtantes glacie negandam

Quot Fidem docti solidare firmo
Pectoris ære?
Hæresis fluxum stitimus, voraci
Peste tardatâ: velut ille Præsul,
Gesta quem clarum mitra CAESAREAE
Reddidit Orbi:
Is LYCO fixit baculum rapaci,
Ne redundantes glomeraret extra
Terminum fluctus. Stetit imperato
Limite flumen
Ire non ultra reverens. Stetere
Cum LYCO nostro pariter novatæ
Legis errores, neque turbulentæ
Flexibus undæ
Progredi fortes, Boicam nocente
Labe sinceram metuêre terram;
Urbe contenti potior laborum
Causa fuere:
Nam refutandis solidè tenébris
Quot typo insignes patuere libri
Nucleo pleni, calamíque docto
Melle referti?
Eloquens sermo duplici Cathedrâ
Stravit errores, retulítque suada
Hactenus victrix, referétque posthàc
Integra Palmam:
Templa cum Clero medios retenta
Inter insultus, viduæ plateæ
Numinis cultu faciem induêre
Floridiorem,

Supplici

Supplici quando ſerie quotannis
Sæpe procedit ſpecioſa pictis
Pompa Vexillis, meliórque ſacro
Incola luxu.
Artifex cupri Phrygio mucrone
Quot ſacras ſculpit variante chartâ
Iconas Divûm, ſimulacra totum
Sparſa per Orbem.
Integræ Mappæ folio patente
Geſtibus plenas referunt figuras,
Et Coronatis ſacra dedicatur
Frontibus arrha.
Aucta conſtanti Pietas decôre
Ampliùs per nos ſtabilita crevit.
Triticum ſpinis, tribulíſque cinctum
Nil inimico
Hactenus paſſum lolio feraces
Protulit ſpicas, neque fœneratus
QUINQUE per CENTUM eſt ager ille: pingui
Terra tributo,
Et pari Summâ duplicis lucelli
Exhibet fructum, decimáſque ſolvit.
Plura promittit reliquos ſecundus
Neſtor in annos.

F I N I S.

Errata Illapsa sic corrigenda.

Fol. 1. ad Lector. lin. 4. est est. dele semel *est.*
Fol. 17. vers. 1. plerunque leg. *plerumque*
Fol. 46. vers. 25. Armamur. leg. *Pugnamus.*
Ibidem versus 27. ità potiùs legendus.
Nocente tentamus furore.
Fol. 86. versu 9. oras leg. *aras.*
Fol. 128. ultimus versus ita legendus.
Perverteris, reverteris.
Fol. 174. versu 15. Qot. leg: *Quot*
Fol. 360. vers. 7. ita legendum:
Quis conjugatos stipites laudet satis,
Fol. 555. vers. 16. passim leg. passum.

Errores reliquos, si qui sunt circa interpunctiones præsertim, facilè æquus Lector corriget.

image
not
available